


- 19^o-c Lutonii, Dr. Frideric: De limibibus Iepurioris 1^o
bello Iepuriorum. 3 Decap. 1706-1749. 3 Decap. 1
- 20^o-c Lutonii, Dr. Frideric: Problema juri dicum, ac et
quatenus affectus humani in foro considerentur 3 Decap.
- 1706, 1736 & 1749
- 13^o-c Lutonii, Dr. Frideric: De intercessione innocentium 2 Decap.
14. Schmidor, Dr. Frideric: De promotionibus pro saltuum
15. Schmidor, Dr. Frideric: De successione legitimorum in
fundi
16. Stahlius, Georg. Eusebius, med. Nach. et prof. pall. Ord., loc:
De testimoniis medicis. (et de mutatione in mag. Schmidis
Burcharii intento)
- 17^o-c Strykow, Dr. Samuel: De translocatione ministrium
ecclesiae.
- 18^o-c Strykow, Dr. Samuel: De notorio 2 Decap.
19. Strykow, Dr. Samuel: De appellatione ac suspensio 1^o
personario summarissimo.

26. Skr. Dr. Samuel: Tico, quod iugurthi et cora
jumenta justitia



Publ. 10. num. 35.

5

24

B. C. D.

1706

14a

13

DISSERTATIO IURIDICA

Dc.

PROMOTIONIBVS PER SALTVM,

Qyam occasione

L. II. pr. ff. de Mun. & Honor. & cap. un. X. de cleric.
per salt. prom.

721

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO AC DVCATVS MAGDEBURGICI
GVBERNATORE

IN REGIA ACADEMIA FRIDERICIANA

CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

PRÆSIDE

JO. FRIDEMANN SCHNEIDER,

I. V. D. LOG. AC METAPHYS. PROF. ORDIN.

IVRIVM EXTRAORD.

publico eruditorum examini
submittit

JOHANN STARCKE,
Magdeb.

D. Apr. A. O. R. MDCC VI.

KENFRIED
UNIVERS.
ZVHALIE

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

Typis JOHANNIS MONTAGII, Acad. Typogr.

7

250

DISTRICTUS AUSTRIAENSIS
HISTORICUS
PERIODUS
OMNIA
EXCELSA
MAGISTERIUM
SINTENS
SCHOLASTICUM
TITULUS
MANVS

*ILLUSTRI ATQUE EXCELLENTISSIMO
DOMINO,*

**DN. CHRISTIANO
DIETERICO
ACKENHUSEN,**

*AUGUSTISSIMI ATQUE PO-
TENTISSIMI PRUSSIÆ REGIS CONSILIARIO
AULICO, INCLUTI SENATUS IN CIUITATE
MAGDEBURGENSI PRÆSIDI LONGE
MERITISSIMO,*

MÆCENATI AC PATRONO SUO,

*OMNI PIETATIS CULTU ÆTATEM
PROSEQUENDO,*

Hanc dissertationem dicatam esse jubet

**JOHANN STARCKE,
Magdeburgensis.**

ILLUSTRIS ATQUE EXCEL- LENTISSIME

MÆCENAS ET PATRONE OMNI
PIETATIS CULTU ÆTATEM
PROSEQUENDE.



Eneficiorum obliuisci, neque illorum originem ad eum, à quo promanarunt, fontem, oblata occasione, refundere; non minus ingrati animi eit, quam si quis eorum dispensatorem palam contemnat, atque se ipsum acceptis plane indignum judicet. Beneficentia vero non in decernendis tantum muneribus, nec in conferendis opibus, aut aliis ejusdem generis rebus, exercetur; sed in cohortanda maxime, admonendaque juventute versatur. Nulla enim vitæ humanæ pars, tam lubrico atque proclivi ad voluptates & otium loco constituta est, quam adolescentium

um ætas: in primis eorum, qui ad liberaliora studia animum adpulerunt; qui facillime à recto virtutis, scientiæ atque laboris tramite, improborum aut consiliis, aut factis aufferruntur. Prudentum igitur, ac sapientum præceptis, in hac via confirmari, & ad solidam eruditio[n]em, virtutemque hisce ducibus peruenire, id vero præstantissimum beneficium omni jure dicendum est. Quem quidem finem etiamsi ego nondum attigerim, ad obtinendum tamen eum Tu, *Patrone Summe*, me optimis consiliis instructum semper dimisi, & ab eo tempore, quo Tibi adhuc adolescentulus innotui, præcipuum quendam in me fauorem, & singularem nunquam non benignitatem notaui. Hinc profecto ingratissimi hominis notam haut effugerem, si ullam omnino agendarum Tibi gratiarum occasio[n]em dimitterem. Quam etsi semper optau[er]i, nunquam tamen deprehendi commodior[um], donec mihi facultas suborta est, sub *Nominis Tui* auspicio hanc disputationem in manus eruditorum emitendi: quam proinde Tibi, *Mecenas Optime*, tanquam opus, à consiliis Tuis non alienum, submisse commend[o]. Accipe serena fronte, quod Tibi in-

ingenuo ac liberali animo offertur: licet le-
tue atque exiguum videatur; tamen summæ
in Te pietatis, atque obseruantiaæ meæ cer-
tissimum erit argumentum. Neque tantum
mihi tribuo, vt confidam, me beneficiis Tuis
parem referre gratiam, oblato hoc specimi-
ne, quod ne minimam illorum partem deli-
bare potest. Tanta enim Tua erga me ex-
stant merita, quæ licet satis ampla sint atque
eximia; insigni tamen cumulo augebuntur,
si in posterum quoque studia mea consiliis, à
limato ac sapienti judicio Tuo profectis,
prouehes & vterius excitabis: Quibus vt mi-
hi benignissime succurras, deuoto animi cul-
tu à Te etiam atque etiam contendeo. Faxit
Numen Diuinum! vt Tu, *Patrone Maxime*,
cum in carissimæ vrbis, patriæ meæ, sum-
mum emolumentum, tum in Tuorum, Ti-
bique addictorum commodum, vegetam
firmamque senectutem indies experiaris.

ILLUSTRIS NOMINIS TUI

obseruantissimus cultor

JOHANN STARCKE.



PRÆFATIO.

Inter præcipuas, quibus Republicæ tam pacis, quam bellici tempore, se conservare possunt, ea est causa, quam in promotionibus indicaturi sumus. Barbara qvidem voce, sed vim ac potestatem illarum, pro facili nostri genio, satis exprimente. Ideo super illa curiosius disputare, ubi de re ipsa convenit, a scopo nostro prorsus alienum esse, arbitramur. Etenim hunc in eo collocabimus, ut, quæ obtinent in rerum argumentis, paullo diligentius investigemus, alia vero omnia relinquamus in medio, neque aut vera adferamus, aut arguamus vana. Sunt, quæ legum interpretem; sunt, quæ illarum vindicem, quam maxime decent. Sapientis enim rerum civilium origines altissime conduntur, quas mersas profundius, cum investigando prehendere nequeamus, multo proclivius fuerit, silere penitus, quam de illis temere quidquam statuere. Non raro etiam legislator intervenit, ac procurarentibus sese opponit negotiis, aliterque disponit modum atque agendi eventum, quam forte se dederit. Rationem hanc, ut in provehendis civibus suis sive ad di-

gnitates , sive ad officia , Principes identidem obſervant ;
ita frequentissime confundunt vulgi iudicia ; ut toties flu-
ent , quoties promotiones eorum votis respondere ,
non pervideant . Quod si autem neque cuncta habere in-
iniqua , neque falſa æstimare oportet , quæ de *promotioni-
bus per saltum* veteres æque ac recentiores scriptores me-
moriae prodiderunt , sed potius , ad instituendum selectum ,
nos invitant . Hinc eo utilior , magisque necessaria illius
institutio , quo plura ac varia *per saltum promotorum* exem-
pla paſsim offendimus . Quorum copia angustis differa-
tionis nostræ finibus comprehendendi nequit , quæ non inter
cives modo tempore pacis , sed inter milites quoque bel-
li tempore attenduntur . Quare , ingenii mediocritate nos
metientes , cuius omnium optime nobis concii sumus ,
per ſumma , quod aiunt , capita de his *promotionibus* diſ-
ſeremus , ſepotis eis , quæ aliam occaſionem & maius in-
genium requirunt . A Te vero , qvisqvis demum fueris ,
lector benevole , dari veniam nunc rogamus , ſi a com-
muni diſputandi ordine non nihil recedamus : neque e-
nim tam voluntate noſtra , qvam auctoritate eius ſingula
proferimus , qui cauſam de hoc argumenio dicendi nobis
ſuppeditavit . Faxit DEus , ut propositum noſtrum
feliciter cedat .

CAP.

S (5) 58

CAPVT I.
De
PROMOTIONIBVS PER SALTVM
IN GENERE.

Summaria.

Dignitatum ex iure vario demonstratio §. 1. Qvarum promotio per gradus commendatur §. 2. Rationes pro illa adseruntur, qvarum una, quia dignitates sequuntur virtutum merita. Huc Lex scandis Plinii applicata, §. 3. Adversus quam dubium, a virtutibus heroicis petitum, solvit. §. 4. Altera, quia honores, gradatim delati, Republica tranquillitatem invant, §. 5. Contra hanc obiectio de turbis, propter bonitatem mpralem excitatis, dissipatur, §. 6. Tertia, quia per saltum promoti ciuius et gravius ruant. §. 7. Causa promotionum per saltum queritur in adsestitibus cardinalibus. Non solum esse ambitionem demonstratur a fine promoti, §. 8. Qva occasione disiungitur promotio per saltum, quod fiat vel persone vitio, vel DEi singulari fato: illa in statu controversia inclusa; hec exclusa est; et variis exemplis illustratur, §. 9. Reperiit sumnum pro honoribus gradatam acceptis est permissa, cuius gratia actio negotiorum gestorum insituitur. Difensus B, Brunnemann conciliatur §. 10. Cum promotionibus per saltum aliquam habere similitudinem adpellationes per saltum evincitur. Mynsingeri opinio hic refutatur. §. 11.

§. I.



Ctiris ergo de promotionibus, quæ per saltum fiunt, officiorum atque dignitatum origo paullo altius repetenda erit. Siqvidem a iure naturali ratione meritorum, a iure gentium ratione solennium, et ratione privilegiorum a iure ci-

A 3 vili

vili dependent. Hinc liquido constare potest, ut meritorum, ita honorum gradus dari, quos transflentes, per saltum promoti esse videntur.

§. 2.

Atque hos etiam summopere attenderunt cordatisissimi mortaliū, Romani, cum natura duce, quaē a minimis semper incipit, et pedetentim ad maiora progrereditur, prius Edicto statuerunt, ut gradatim honores deferantur, et ut a minoribus ad maiores perveniantur, dein epistola Divi Pii ad Titianum expresserunt, teste Hernonio Modestino in *L. ii. pr. ff. de mun. & honor.* Nam gerendorum honorum non promiscua erat facultas, sed ordo certus huic rei adhibitus est, neque prius maiorem magistratum quisquam, nisi minorem suscepit, gerere potest, monente Callistrato in *L. i. 4. §. 5. ff. b. t.* Si in rationes inquiramus, cur elevationem ad honores, factam per gradus, illi quae per saltum accidit, non Romani solum, sed & alii populi prætulerint, multæ nobis sese offerunt.

§. 3.

Quarum una, quod dignitatem sola virtus secundum ius naturæ mereatur. Ex virtute autem de præmiis eius ferendum est iudicium: Sicut illa gradus; ita hæc etiam tales admittunt, Virtus habet incrementa sua, quæ moram requirunt et successionem. Honores igitur, virtutum præmia, non alio, quam eo ordine dispensandi sunt. Longo enim rerum usu perficitur virtutis cultor, ut modo obscuriores, modo clariores illius profectus ostendat. Simili ratione honorum radii cumdem circumfundant, Tantam enim quisque reportet dignitatem, quantâ virtutum suarum gradibus ac meritis debetur. Cassiodorus, cum multum de summa Patriciatus dignitate disserisset *Lib. i. epist. 4.* Ut crescere, inquit, virtutes solent, fastigium præconii consendit gradibus dignitatum. Ex quibus colligimus, sic ferente virtutis ordine, quod a Plinio *Lib. 7. cap. 92.* de annis etateque hominis dictum est, id ipsum quoque de dignitatibus et honoribus dici posse, ut sit

et

PER SALTVM IN GENERE.

7

et honorum scānfilis lex , per quam ad summas dignitates , maxime magistratus , quibusdam veluti gradibus descendamus .

S. 4.

Videntur qvidem virtutes heroica non male obiici posse , quārum eximii ac singulares , ad magna tentanda et perficienda impetus , haut permiserunt , ut gradatim , sed saluatim seu per saltum Heroes effarentur . Ideoq̄e scānfilis honorum lex parum firmum in virtutum gradibus reperire fundāmentum putatur . Sed sciendum est , tantum virtutis gradum magis in idea , quam in veritate dari , si sacra excipiamus exempla : in quibus tamen vires nature , cum illis , que gratia divine debentur , non confundenda sunt . Neque enim sunt Heroes , nisi per adflatum divinum , quo animi ipsorum excitati , altissima sibi proposuerunt , et , admiranda felicitate adiuti , ad finem usque perduxerunt . Paganorum itaque Heroes , quoniam his virtutum gradibus donemus , ea impedit causa , quoniam virtutem ex bonitate voluntatis metimus , que nulla est , si vitiis alius contaminata sit , nec tota mens in honestatem feratur . Qya deficiente , in Paganis Heroibus , tantum abest , ut virtutes heroicas illis tribuere liceat , in quibus vix umbra verae virtutis adparuit . Finge , fortem esse Alexandrum M. qui una voluptatibus diffusat . Finge , constantem esse Scāvolam , qui cetera sit iniquus et iniustus . Nihil minus in his agnoscere possumus , quam fortitudinem et constantiam , cum si verae hae virtutes essent , non possent non animo bono et honestatis cupidissimo inesse . Bonus autem animus a libidine et iniustitia alienissimus est . Accedit , quod , si concedamus , Heroibus summos ac plane singulares persūltim , neque gradibus observatis , delatos esse honores , non totus promovendi ordo evertatur , sed quēdam eius exceptio demonstre tur . Heroibus enim impetus extraordinarii , constantia singularis , et admiranda felicitas in egregiis facinoribus conveniebat , ideo non aliter , quam extraordinario modo , atq̄e ita per saltum , ad summas dignitates promoyerī potuerunt ,

S. 5. Dij

CAP. I. DE PROMOTIONIBVS

§. 5.

Dissipato iam adversæ partis scrupulo, altera ratio succedit, qvæ non minorem vim per svadendi habet, ut *honores gradatim* conferantur. Etenim *Reipublice tranquillitas* hanc requirit promotionem, et *civium equabilitas* eo contendit. Cuius ea est indoles, qva cui libet civium pro virtutis et ordinis sui ratione ac differentia honor, ius et officium defertur. Vnde sovet ac tuetur *civium concordiam*, qui in *Republika* hanc conservare satagit. Nam summorum Imperantium prudentia gradus diversos et ordines constituit esse distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhibent, et potiores minoribus dilectionem impenderent, vera exinde emerget concordia, ac recte officiorum singulorum administratio geretur. Nulla in re magis admirata est regina *Sabbæ sapientiam Salomonis*, atqve cum ordines ministrorum in aula eius probe attenderet. *I. Reg X.5.* Neqve profecto aliud remedium salubrius dari potest contra seditiones in *Republika*, et gliscentes in collegiis factiones, quam ut dignitatis et honoris im petrandi gradus diligentius praescr ibantur, ac semel præscripti, in quovis officiorum genere, custodiantur et ob serventur. Vbi enim nemo ordine suo contentus vivit, et maior adap rare, quam sit, desiderat, hinc nascitur fœcunda illa discordiarum secessionumque seges, qvæ *Rempublicam* tantum non pessum dare potest. Ideo non levis iniuria fit ordinationi *Reipublicæ*, si quis, spretis honorum gradibus, per saltum promoveri, et locum sibi im meritum occupare gessiat.

§. 6.

Verum non dubitamus, qvin sententiam nostram alii eadem fere ratione impugnaturi sint. Cum enim, virutum meritis conspicuos, eosqve, qui optimi esse censentur, ad honores et dignitates tantum admittat §. 3. Ideo, ex hypothesis presentis status humani, vehementer urgere possunt, illam non alere concordiam, sed sub eius obtentu turbas excitare, qvia perpetuum de morali bonitate

tate inter homines certamen supererit. Fatemur, inter se mortales ita contendere, qvos insatiabilis honorum cupiditas incesit. Qyorum tamen perversa iudicia nec honoris fundamentum evertere, nec ordinem eius turbare debent. Atqve hoc facit illud Aristotelis consilium in *Polit. I. c. V.* Δεὶς δὲ συντελῶν ἐν τοῖς πατέραις φύσεις μᾶλλον φύσεις καὶ μὴ ἐν τοῖς διεφθαρμένοις. Deinde merita virtutum necessaria esse diximus ad consequendos honores, sed non exclusa Principis aut Reipublica agnitione, quæ personam dignam iudicat, eamque aliis eminere iubet ac publice declarat. Summi enim imperii est civium designare ordinem, & cuique valorem suum ex meritis conferre, quatenus ad communem tranquillitatem conducit. Pufendorf de *J. N. et G. Lib. VIII. c. IV. §. 13.* Vnde a meritis est aptitudo, sed a publica declaratione ipsa pendet honorum adquisitio, qvam existimationis ac opinionis nomine leges Romanæ significaverunt *L. pen. §. 1. ff. de Extraord. cognot. L. 8. 14. 17. C. qv. caus. infam. irrog. L. 6. §. 1. C. de postul. L. 3. C. de iniur.* Accedit, qvod vere virtutis cultores nunquam dent turbas, tametsi spe imperrandæ dignitatis atqve officii excidunt. Qyorum bene agendi ac honores petendi hæc est norma: *Vbi nihil valent; ibi nihil velint.* Nihil itaque gratis, nihil frustra faciunt. Contra ambitiosorum propria hæc sunt studia, qvi, *vana virtutis imagine*, dignioribus lites movent, aliisve illudunt, ut per saltum promoveantur. Qvare communis conservandæ Reipublicæ ratio svadet, neminem amare supra modum!, sed exiguo potius et diuturnos honores tribuere, qvam celeriter magnos. His enim deteriores sunt homines, et ferre secundam fortunam non omnes possunt. Videatur ex veterioribus Aristoteles *Polit. II. c. IX. et V. c. VIII.* atqve ex recentioribus Ambrosius Marlianus *Theat. Polit. c. IX.*

§. 7.

Qamvis rationes, modo adductæ ac defensæ, tanti sint ponderis, ut si ad eas satis attendamus, non *vana* solum, sed revera etiam *pericula* *a promoto per saltum* videatur. Nihilominus, qvos in transversum ire iuvat, eoqve more ad impetrando honores se componere, illis adhuc incommoda istius aperienda sunt. Nam casum adpetunt, qvi ad summa loci fastigia posthabitis gradibus per

B

ab-

abrupta qvæ rūnt ascensum can. 2. dīs. 48. In altum tolluntur pluri-
mi, ut lapsu paullo post ruānt graviore. Hinc Baldi consilium
erat ad L. 2. C. Qvenadmodum, civil. mun. ind. qvod ascendendo, non
descendendo debeant honores conserri. Alias in honoribus de-
ferendis admōdum cauti erant veteres Romani, ne dignis digni
subtraherentur: indigni indigni adficerentur. Qvare maioribus
dignos habere noluerunt, nisi in minoribus officiis se se viros
præstisissent, uti s. 2. per L. 14. S. 5. ff. de mun. et honor. ostendimus.
Etenim abunde intellexerunt, per saltum promotoꝝ ea destitui exper-
ientia, qvam maioris cuiusdam officii administratio præsupponit.
Siquidem qvo ampliora sunt Reipublicæ munera, eo cautiora et
magis circumspēcta reqvirunt hominum ingenia. Verum ab ex-
perientia, longos rerum usus comprehendente, hæc oriuntur. Ac
proinde per saltum promoti ingenio plerumque sunt temerario,
qvia paucarum calamitatū habent experientiam, qvibus ingenia,
inque eis nata desideria humana, omnium optime corriguntur.
Ex qvibus constat, nimis festinantes in petendis honoribus, semet
ipsos præcipitare. Violenti enim honores, et per saltum quæsiti,
raro diuturni sunt, & maxima cum clade honorati ipsius coniuncti.
Qvam Poëta ingeniosi morum censores, sub fabularum involucre
tegebant, cum modo Phaëtonis, modo Icari triflissimos casus
decantarent: qvorum ille nimis alta expetens, Iovis fulmina sen-
sit; hic male consutis alis evolans, in terram recidit, ac fato periit
funestissimo. Vid. Ovidius Metamorphos. Lib. I. et VIII. Vnde
etiam ambitionis perpetuam comitem esse fingebant Nemesin.
Qvæ raro absuit ab illis, qvi, eodem fine, qvo Pompeius M. sem-
per in ore habuerunt versum illum Homericum:

Αἰὲν ἀγιστεῖν οὐδὲ ὑπέροχον ἔμμεναι ἄλλαν.

S. 8.

Investigavimus hoc usque, qvid liceat circa promotiones, qvæ
per saltum fiunt. Seqvitur, ut pari diligentia dilpiciamus, tum
de causa, ad easdem impellente, tum de causis exceptis, qvorum
notitia, si ad promotiones in singulis Reipublica statibus pervene-
rimus, plurimum lucis nobis fœnerabitur. Qvemadmodum ve-
ro corpus pedibus, ita animus noster adfectibus movetur. Qvorum
tres

PER SALTUM IN GENERE.

II

tres sunt præcipui, qvi mentis aciem obtundunt, et arcem eius omnino evertunt. *Ambitio, avaritia, voluptas.* Ex quibus modo illa; modo istæ, in consequendis per saltum honoribus, potiores sibi partes vindicant. Mixtura enim horum affectuum adœvaria est, ut ægre diindicetur, nisi quis memori mente ea teneat, quæ de hoc argumento adœcurate tradidit Excell. D. Thomasius In der Ausübung der Sitten-Lehre cap. XII. In præsenti vero negotio, cui præ aliis affectibus illud tribuendum sit, ex fine honorata colligimus, qva in moralibus optima est probatio. Falluntur enim, qvi omnes promotiones per saltum ad solam ambitionem reducunt: et si immodica honoris adpetitio in singulis offenditur. Finis igitur hic probe attendendus erat eius, qvi tam promotionem tantopere adœcat. Vnde ad avaritiam pertinere, existimamus, prout ex honore lucrum captatur. Deinde qui eius occasione, iucundius vita genus se obtenturum, confidit, ad voluptatem illa promotione per saltum referri potest. Quatenus vero popularis aura et adplausus vulgi qværitur, eatenus genuina adest ambitionis soboles. Qvae adeo mortales, qvos cepit, velut stimulis admotis incitat, ne quidquam relinquant intactum, moveant omnia, non solum ornamen lapidem, qvemadmodum in proverbio est, ut ceteris antecellant, sed in dies etiam nova potentia ac honoris incrementa conqvirunt, ut hinc vires habeant, ne premantur, eaqve reverentia colantur, qva numqyam vilescere possit. Plura, de ambitionis moribus, qvi nosse cupit, adpositæ de illis differentem evolvat Jo. Sarisberiensem in Nug. Curiat. L. VII, c. XVII.

§. 9.

Ex his manifestum erit, qvod illas promotiones per saltum vocemus in disceptationem, qvæ *vicio personæ* fiant; cas vero hic et in posterum removeamus, qvæ *divino fato ac miraculosa Numeris* vocacione perficiuntur. Quemadmodum enim singularia promotorum merita vel præcesserunt, vel deinceps secuta sunt; ita eiusmodi promotiones non vituperatione, sed laude atqve admiratione sua, qvam dignissimæ fuerunt. Si exempla desiderentur eorum, qui, turbato per saltum promotionis ordine, ad summos honores et res magnas gerendas everti sunt; Qvo illustri-

B. 2

ora



ora hæc sunt, eo minus de veritate rei gestæ dubitandum est. De Saule constat ex sacra historia, omnem fidem humanam superante, quo modo, asinum qværens, Palæstinæ coronam invenerit. I. Sam. IX. Davidem nemo ignorat, ab ovibus vocatum Regemque inunctum fuisse I. Sam. XVI. Servium Tullium nec generis obscuritas impedivit, et si matre serva natum, qvominus Rex crearetur Romanorum. Florus lib. 1. c. 6. Et Tarquinio Prisco nihil offecit, Regi Romanorum, qvod Patre mercatore, eoque exule, natus eset. Valerius Maximus L. 3. c. 4. Augustum Imperatorem, cuius celebritatem nominis nulla ætas tacebit, avum habuisse argentarium, patrem adstipulatorem, testis est ipse Cicero in ep. ult. ad Q. Fratrem. Helvium Pertinacem, libertino patre ortum, ad diadema pervenisse, memoriae prodidit Dion lib. 73. in cuius sordibus numerare non v eretur Capitolinus, qvod mercatura operam dederit. Probum Imperatorem, Patre agrefti, horitorum studioso genitum, Romanum sceptrum ornavit. Aurelius Victor in eius vita. Et sane supersedemus, plura eaque paulo recentiora illorum addere exempla, qvos vomis et stiva ad regna evexit, cum ab instituto nostro aliena videantur. In Republica quidem perpendimus promotiones per saltum, magis tamen ad officia, quam imperia redactas, ut eorum potissimum controversæ, qvos iuris Canonici et civilis Communio tenet, a nobis decidantur.

§. 10.

Post cognitum promotionis ordinem, eiusqve per saltum factam turbationem, de sumtibus qvædam annexanda sunt, qvos in honores adquisitos promotorum nomine alii fecerunt. Equidem hos de honoribus, per gradus impletatis, repeti posse actione negotiorum gestorum, dubio caret. Ita enim statuit Ulpianus in L. 45. ff. de N. G. his verbis: *Sumtus honeste ad honores per gradus pertinentes facti actione negotiorum gestorum peti possunt.* Nos vero arbitramur eadem decisione non excludi etiam sumtus pro illis impensi, qvi per saltum promoti sunt, modo per extraordinaria dona et præclara virtutum merita tanto honore se dignos reddiderint vid. §. 4. ipseqve expensæ pro loci consuetudine honeste

nesti datæ fuerint. Vnde dissensus B. Brunnemanni in *Comment. ad b. L.* nos minime serit, cum de illis loqvatur, qvi honore indigni per saltum ascenderunt, aliorumqve impensis in ambitione sua adiuti ac confirmati fuerunr. Nam criminis socii putantur, qvi ære suo alios in ambitus crimine sublevant. Gratis quoqve Gothofredus *in mor. ad b. L.* opponit, qvod non posint peti, qvia sumtus in honores prohibentur *L. un. ff. ad L. Iul. ambit.* Verum hæc Lex illos tangit, qvi non palam, qvod licebat, sed clam, corruptis suffragiis, et captata populi aura honores ambiebant. Cum igitur non amplius per suffragia populi elegantur magistratus, ut in statu Democratico usi venit, sed a Principe, summo honorum dispensatore, vel per se, vel per alios isti deferantur, Lex ad Germanorum mores ea ex parte non accommodanda est. Præterea non pugnat cum honestate, etiam in honorum consecutione aliquid sumtuum insumere. Qvod tamen non tam propter honores ipsos, qvam propter labores exantlatos, aliaqve in honoribus conferendis solennia reqviritur. Iuxta illud Germanorum: Zu Ehren soll man nichts sparen. Qvare singula, qvæ hic erogantur, non sunt honorum merces, sed laborum ac operarum præmium, & gratam erga conseruentem animi declarationem in se comprehendunt.

§. II.

Cum promotionibus per saltum aliquam similitudinem habet adpellatio per saltum', cuius obiter hic mentionem faciemus. Hæc evenit, quando non ad proxime superiorem, uti precipit *L. i. §. 3. ff. de adpell. Nov. XXIII. cap. 4.* sed iudice medio plane omisso, statim ad supremum instituitur. Qvamvis enim Mynsingerus *Cent. I. O. 67.* sibi persuadeat, talem adpellationem valere, si nihil ab adversa parte opponatur, qvod videantur partes consentire, et iurisdictionem prorogare. Nihilominus, ut taceamus, qvod maxime adpellantium intersit, ne, dum forsitan a supremo iudice ferant deteriorem sententiam, ab omni adpellationis ulterius sint exclusi auxilio, ideo valere nequit eiusmodi adpellatio, per saltum facta, quia sit iure prohibente, per *L. 21. §. 1 ff. de adpell.* item per Ord. Cammeral, *P. 2. T. 29.* Es soll keine adpellation an dem Räy-

14 CAP. II. DE PROMOTIONIBVS PER SALTVM

serlichen Cammer-Gerichte angenommen werden, die nicht gradatim geschehen. Sed qvod contra leges fit, ipso iure nullum esse, patet ex L. 5. C. de LL. Accedit, qvod iudicium iurisdictio[n]es confundat, contra L. 4. C. de iurisdict. Vnde eo casu adpellatio ad iudicem immediatum remitti debet, cap. 66. X. de adpell. DN. de Lyncker in Decis. 890. Qvibus tamen non obstantibus, aliquot causis etiamnum excipiuntur, in qvibus adpellatio per saltum omnino recipitur, qvorum (1) si medius iudex appellanti manifeste ius denegat (2) si suspectus in causa sit (3) si quis ex iusta causa non posuit, aut nolit iudex esse. Gaiilius i. O. 119. Meyins in P. 3. Dec. 384. Satis de adpellatione per saltum diximus. Ex diverticulo reversi in viam, nunc promotiones per saltum secundum diversos Reipublicæ status proseqvemur.

CAPVT. II.

De-

PROMOTIONIBVS PER SALTVM
IN STATV ECCLESIASTICO.

Summaria.

Connexo §. 1. Rationes adducuntur, cur in promotionib[us] per saltum a statu Ecclesiastico initium fiat, cum descriptione §. 2. Divisione ratione ordinum et aetatis §. 3. Species facti ex cap. un. eruitur §. 4. Ordines septem in hac promotione per saltum iure Canonico presupponuntur §. 5. Navi horum ordinum insigniorcs. Q. An Episcopatus sit ordo? Notatur Ledesma et Diana §. 5. Discrimen Episcoporum et Presbyterorum in Primitiva Ecclesia ignotum fuit, in Pontificia demum introductum. §. 6. Modus promovendi secundum singulos ordines indicatur. Exemplum de bodierno Pontifice Clemente XI. Episcopi gradum ante papalem coronationem assumere. Rationes eius §. 7. Ordinum origo male ex apostolorum canonibus, rectius ex constitutione Caii repetitur, qui etiam primus promotiones per saltum prohibuit §. 8. Ratios

nes

nes prohibendi sunt (1) ab humilitatis studio (2) a gravitate muneris in superiori ordine suscipiendi (3) ab incommodis §. 9. Refutatur Gonzalez, qui rationem prohibendi peccati a comparatione hierarchie celestis. §. 10 De pena per saltum promotorum agitur. Q. An illi absolute irregulares siant? §. 11. De pena huius dispensatione ad mentem Concilii Tridentini §. 12. Facilis dispensandi variis distinctionibus temperatur a Pontificis §. 13. Q. An detur dispensatio tacita in impedimento Canonico? §. 14. De promotionibus per saltum tam propter casum necessitatis, quam propter extraordinarias mentis dotes exceptis. §. 15. Altera promotionis per saltum species intuitu etatis. Exemplum de Leone X. facta Cardinali anno Octavo. ii. de Archiepiscopio quinquenni §. 16. De etate, cuiusque ordinis propria. Differentia hanc in re Iuris civilis et Canonici. Determinatio eius secundum Concilium Trident. §. 17. De etate Episcopi. Ratio Canonistarum examinatur, praxi primitive Ecclesie contraria esse demonstratur. S. Ignatii testimonium. De pena promotorum per saltum ratione etatis §. 18. Ratio vera de etate Episcopi tricennali adseratur. Imperatoris Iustiniani consensus §. 19. De etate Pontificis legitima. Ferdinandi a Castro Palao sententia expenditur. §. 20. Remedium restitutionis Ecclesie concessum, si minus iusta etate sit ei praefectus. §. 21. De Promotionibus per saltum inter Protestantes. Lutheri sententia laudatur. §. 26. De legitima etate non negligenda in officiis superioribus Ecclesiae Evangelice. Sententia Tarnovii eligitur, §. 27.

§. L

Nemo eruditorum negat, concinnam eiusque argumentum declarationem duabus absolvi partibus: una generali; altera speciali: illa viam futuro parat operi; haec substantiam ipsius negotii aggreditur. Recepto huic morinos quoque obtemperavimus, atque hactenus de promotionibus per saltum generatim differuimus. Nunc postulat ordo, ut varias eius promotionis differentias adornemus. Ne vero temere ac cœco impetu illa tractatio excurrat, hos limites eidem circumscribemus. Primo in statu Ecclesiastico tales promotiones expendere animi pro-

po-

76 CAP. II. DE PROMOTIONIBVS PER SALTVM

positum est, quem in finem cap. un. X. de Clerico per saltum promota præscripsimus. Deinde mores in deferendis honoribus, quantum ad Rem publicam litterariam attinet, breviter delibabimus. Tum in statu civili, quid obtineat circa hoc promovendi genus, sive ex historia Romana, sive ex legibus ipsis, ostendemus. Porro in statu militari de his solliciti erimus. Denique easdem promotions, quatenus statum privatum quoque tangunt, pro temporis ratione perlustrabimus.

§. 2.

Ab Ecclesiastico statu fecimus initium, tum κατ' ἀνθερον, quia inter Pontificios, quorum Canonico iuri hic operam navamus, clericorum ordo reliquis in Republica præfertur; tum κατ' εἰλικρίων, quia tanto conspicitora sunt clericorum vitia, quanto uberiora virtutum exempla edere debent. Vbi igitur gravius instat periculum, ibi prius consulendum est. Ipsa autem promotio per saltum accedit, cum quis, omisso ordine medio, statim ab inferiore ad superiorem ascendit, aut nondum adqvista ætate satis idonea in functionem Ecclesiasticam ingreditur.

§. 3.

Duplex enim per saltum promotio secundum cit. cap. un. esse videtur: una ratione ordinum; altera ratione ætatis, in promovendo necessariae. Quarum illa l. c. ex professo traditur; hæc tantum obiter indigitatur, nempe his verbis: *infra annos discretiōnis*. Vtraque vero ita comparata est, ut ubiorem disceptationem mereatur,

§. 4.

Vnde ad facti circumstantias advertimus mentem nostram, quas ipsum capitulum copiosius, quam certius nobis suppediat de promotione per saltum, ratione ordinum eveniente. Erat tempore Innocentii III. Pontificis aliquis subdiaconus in Episcopatu sive Olmicensi, sive Bononiensi, sive Colonensi, de quo Criticis in posterum certare permittimus, qui, prætermisso diaconatus ordine, in Presbyterum magis per negligentiam, quam per superbiam promotus fuit, quem casum Pontifici Episcopus istius dioecesos proposuit, & ab eodem responsum accepit, ut omissum dunt taxat

taxat ordinem suppleret, ac cum promoto, iniuncta saltim pœnitentia, in reliquis dispensaret.

§. 5.

Cogniti facti specie, ad ordines ipsos pergitimus, qvorum respectu saltum promoti committunt. Pontificii septem illorum recentent in Can. a Subdiacono, 7. dift. 23. Tales sunt 1. Ostiariorum, qui sacram ædem aperunt et claudunt. 2. Lectorum, qui in templo sacram scripturam prælegunt. 3. Exorcistarum, qui dæmones eiiciunt. 4. Acoluthorum, qui hodie in Ecclesia Romana cum cero accenso, seqvuntur Diaconum ad locum Evangelii, urceos et ampullas ad sacrificium præparant, ut subdiacono porrigan. 5. Subdiaconorum, qui rationes reddunt de bonis Ecclesiæ acceptis vel impensis. 6. Diaconorum, qui asfistunt sacerdotibus & ministrant in omnibus, qvæ peraguntur in sacramentis Christi. 7. Presbyterorum, qui corpus et sanguinem Christi consecrant, infantes baptizant, orationes dicunt, aliaqve sacra negotia perficiunt. De qvibus singulis lectu dignissimus est. can. 1. dift. 25.

§. 6.

Multi quidem sunt dictorum ordinum navi, qvos in præsenti abstergere, nobis haut vacat. Insigniores tamen non prætereundos esse censuimus, qvod faciunt ad excusandam promotionem per saltum, ne opus sit, illum ordinem recipere, quem non est necessarium exercere. Est autem unus de electione dæmonum per exoreistas; alter de discrimine Presbyterorum & Episcoporum. Sicut illam tot supersticiose cærimoniam dudum prudentioribus reddiderunt suspectam; ita hoc primitiva Ecclesia, cuius præcesseris sectatores videri volunt Pontificii, plane ignoravit. Qvæ, licet Theologis explicanda relinqamus; nihilominus ad sensum iuris Canonici reduxisse, æqvum erat. In primis ut conste, qvam otiosa sit Canonistarum et Moralistarum disputatio de Episcopatu, an sit ordo? qvod multis rationibus negat Bartholomæus de Le-desma in Tr. de Sacram. Ordin. dub. s. 6. 9. et 10. eumque secutus Antonius Diana T. IV. Tr. 8, Resol. 1. sibi metuentes, ne octavum ordinem adserere debeant: cum tamen scire potuissent, Episcopi officium non honoris, sed operis esse, si ad mores puriores Eccle-

18 CAP. II. DE PROMOTIONIBUS PER SALTVM

sæ primæ comparetur. Sed Pontificii Episcopatum , tamquam summum sacerdotii gradum , genere eundem ; attamen specie a Presbyteris distinctum respiciunt , eo qvod Episcopatus ad pluræ extenda , et potestatem iurisdictionis ac ordinis comprehendat , adeo , ut facultatem habeat confirmandi , et ordines sacros conferendi , qvam in Presbyteris non agnoscunt , coqve ex sua ordinatione peculiarem qvandam spiritualem potestatem ac proinde novum characterem accipiat . vid. Bellarminus de Sacr. Ordin. Lib. 1. c. 5.

§. 7.

His vero nœvis nihil obstantibus , Pontificii antiquum sum promovendi morem retinent . Qvi enim vult esse Episcopus , debet primum esse Ostiarius , deinde Lector , postea Exorcista , inde Acoluthus , demum Subdiaconus , deinde Diaconus , postea Presbyter , et exinde , si meretur , Episcopus ordinatur . can. 1. dñs. 77. Notiora autem hæc sunt , qvam ut exemplis pluribus illustrari debeant , qvorum copia fere nos obruit . Unde recentiori saltim indulgere , consultum ducimus . Idque in capite Ecclesiae Romanae accidit anno M DCC.d. XXX , Novembr. Pontifice Clemente XI , ut ut iam electus esset ad Pontificatum , tamen singulari ritu , anteqvam coronaretur , in Episcopum ordinari voluit . Non dum enim ea qualitate ordinis insignitus erat , nec Papatus , iuxta ac Archiepiscopatus , possunt intelligi sine Episcopatu , utpote qvem intrinsecè includunt , licet alias multa superaddant . vid. can. 4. dñs. 79. Accedebat etiam hoc , qvod Pontifex alios Episcopos constituere , vel consveto Papalis dignitatis titulo Episcopi uti non potuisset , nisi ipse Episcopus fuisset .

§. 8.

Anteqvam pergamus ad alia , de inventore illorum graduum , per qvos clericis promoventur , adhuc dicendum est . Sunt , qvi ex Apostolorum can. 80. cumdem divinare satagunt . Verum opera perdunt pretium , tum qvia spurious esse hos canones dudum erudit probaverunt Balthasar Meisnerius in Tr. de LL. lib. 4. scđt. 2. qv. 5. Balthasar Bebelius in Antiqu. Eccles. T. I. p. 324. seqq. Joachimus Zentgravius in summa iuris divini subscđt. 3. p. 220. seqq. tum

tum qvia citatus canon non probat illos promotionum ordines, sed tantum vetat neophytum in Episcopum vel sacerdotem repente ordinare. Ideoqve plus erit in conclusione, qvam in præmissis: Neophytus statim Episcopus ordinandus non est; Ergo clerici gradatim, servata singulorum ordinum serie, ad Episcopatum evolvendi sunt. Tuitius itaqve procedunt, qvi Caium Pontificem huius instituti auctorem tradiderunt, teste Baronio *ad ann. 296.*
n. 2. a qvo tempore gradatim per minores ordines ad maiores clerici ascenderunt, ac promotiones per saltum interdictæ fuerunt.
can. 5. dist. 51. can. 1. dist. 52. can. 2. dist. 59. can. 1. seqq. dist. 60. can. 3. dist. 77.

§. 9.

Rationes, qvæ tot Pontifices, Caii successores, eo perduxerunt, ut promotiones per saltum prohiberent, inventu non sunt difficiles. Qvarum (1) ab humilitate studio, qvod clericis qvam commendatisimum esse debet. Docere enim factis, sola est norma doctrinæ. Vnde si humilitatem commendent, ipsi vero per saltum eveli gestiunt, qvid agunt aliud, qvam ut auditores suos instruant, qvomodo ipsoſ condemnare debeant. Huc enim collinant verba *cit. can. 2. dist. 58.* *Adf'vscat in Domini castris, in lectorem primitus gradum divini rudimenta servitii, nec illi vile sit exercitium, acutum, subdiaconum, diaconum per ordinem fieri: nec hoc saltu, sed statutis maiorum ordinatione temporibus.* (2) a gravitate munieris in superiori ordine suscipiendi, cui ferendo esse nequeunt, nisi qvorum omnis atas a puerilibus exordiis usque ad provectiones annos, per discipline Ecclesiastica ſpendia cucurriſſet: ut unicuique reſtimonium vita praberet, nec posset de eius provectione dubitari, cui pro laboribus multis, moribus castis, actibus strenuis, celſoris loci premium deberetur, uti præclare fancit Leo I. in *can. 5. dist. 61.* et Imperator Iustinianus in *Novell. VI. cap. 1. §. 2.* aliam ordinatiōnem imaginariam adpellat. Idem quoqve ex Nazianzeno (*in Oratione de laudibus Athanasi*) *Novell. CXXXVII. cap. 1.* Cum nihil antea ad sacerdotium attulerint, simul discipuli et magistri designantur, et prius quam purgantur, ipsi purgant. Heri sacramentorum diretores, hodie sacerdotes, heri a sacris alieni, hodie sacramentorum Principes: Veterani

20 CAP. II. DE PROMOTIONIBVS PER SALTVM

malitia, tyrones pierate. (3) ab absurdis, qvæ promotiones per saltum seqvuntur: ut imperiti magistris, novi antiquis, et rudes præferantur emeritis. Idem Leo in can. 8. dist. 61. Sed in magistrum adsumi non debuit, qvi formam discipuli non adsumit, nec præficiendus, qvi subesse non novit. cap. 49. X. de elect. et elect. potest: Magna igitur arrogantia et impudentia eius esse videtur, qvi neglegit officiorum gradibus in ecclæsti militia, statim dux esse, antequam tyro: et prius docere, qvam discere desiderat. cit. can. 2. dist. 58.

§. 10.

Qvibus probe intellectis non opus erit, ut decidendi rationem, qvam Emanuel Gonzalez in *Comment. ad Decretal. cap. un. de cler. per salt. prom. n. 5.* operose adserit, nostris inferamus. Ideo enim ordinationes per saltum prohibitas esse ab Ecclesia, existimat, qvoniam ordo, qvi servatur in hominibus, ut in ecclæsti hierarchia provehantur, idem servandus videtur, ut in Ecclesiastica proficiant. Siqvdem tota hæc sententia, qvam de hierarchiis sive ordinibus ecclæstibus Pontificii propugnat, falsis ac dubiis hypothesisibus superstruēta est, qvæ non possunt non in petitionem principii abire. Qvamvis igitur, ordinem esse inter angelos et beatos, non diffitemur; tamen qvis, qvalis & qvantus ille sit adserere, satis temerarium putamus adversus Pontificios. Præsentissimum enim erroris periculum adeunt, cum, nullo cognoscendi principio ipfis suppetente, nihilominus ex illis hierarchiis ecclæstibus multa decidere conantur. Sane nec detorta in alienum sensum Scripturæ S. loca, aut commentitii alicuius Dionysii liber de *Hierarchiis ecclæstibus*, multo minus Clementis Alexandri testimonium lib. 6. Stromat. p. 667. tantam controversiam componere possunt. Quemadmodum vero Pontificii, dictis Scripturæ abutentes, impietatis; ita Gonzalez in his testibus, non uno errore convictis, adquiescens, vanitatis notam merentur. Remedia enim imperfectionum sunt supra dicti ordines Ecclesiastici, uti §. 9. demonstravimus. Ergo in hierarchia ecclæsti, neque inter angelos, neqve inter beatos, inveniri ea ratione possunt, qvorum perfectissimum statum esse, ipsimet Pontificii largiuntur. Sed ponamus, comparationem inter hierarchiam ecclæstem et Ecclesiasticam valere; nihil tamē fcius

cios Gonzalez cum aseclis suis causa cadet. Tres enim dantur Angelorum hierarchiae, in quibus novem constituantur ordines, uti Dionysius l.c. cap. 6. et 10. ostendit ac novissime Burchardus a S. Mattheo in Tr. de Angelorum custod. qv. 23. hanc concordem esse Theologorum Pontificiorum sententiam statuit. Qvare clericis inter Pontificios non amplius septem, sed octo aut novem ordines observandi sunt, ne per saltum promoveantur. Id qvod aperte contradicit tam iuri Canonico, vid. §. 5. & 7. qvam Canonistarum sententia, qui ne octavum ordinem adsumere cogerentur, episcopatum excludere voluerunt, vid. §. 6. Tantos errorum scrupulos dubio procul prævidit Hieronymus Bravo Dominicanus, qui re-latione Petri Suavis in Hisp. Concil. Trident. Lib. 7. adseruit: Ecclesi-am transiit hunc per omnes ordines ad sacerdotium non alio fine constituisse, nisi ad homines humiliandos.

§. II.

Post varias ambages, quas ordinum clericalium enumeratio nobis peperit, poena qvoque per saltum promotorum subiicienda est. Cuius estimationem petimus ex modo delinquendi. Et enim ita promoti omiserunt ordines intermedios, aut per negligenciam, aut per superbiam: illo casu suscepti ordinis suspensione et remissione ad gradus omissos cit. cap. un. can. un. diff. 52. hoc autem irregularitate puniuntur, qvam aliqui cum Ludovico Engelio in Colleg. Iur. Can. c. 1. p. 1024. et Martino Bonacina de Censur. Disp. 7. qv. 3. tantum ad ordinem illum, qui per saltum obtentus est, restringunt: ea tamen differentia, ut *dolo* promoti, *ipso iure*, *culpa* vero *eveeti*, per *sententiam iudicis*, irregulares fiant. Idque hoc demum casu, si in ordine suscep-to, vel in illo, quem suscipere omiserunt, ministraverint, uti limitant Augustinus Barbosa ad cit. cap. n. 5. Gregorius de Valentia Lib. 4. D. 3. qv. 19. punct. 3. Andreas Vallenfis in Paratit. Iur. Can. ad b. l. n. 1. seq. A qvibus recte videatur discedere Arnoldus Corvinus in Inst. I. Can. Lib. 1. T. 25. §. 28. qui, taliter promotum absolute irregularē fieri, contendit, ut ab Ecclesia abiici debeat, nec amplius ordinari poscit. Qvam poenam in primitiva Ecclesia usitatam fuisse, luculentissime testatur antiquus scriptor, Regino Prumensis de Disciplina Ecclesie-

22 CAP. II. DE PROMOTIONIBVS PER SALTVM

stica veterum Lib. 1. c. 434. de ambitu clericorum : Qui per ambitionem, ait, maiorem dignitatem appetivit, et illam perdat, quam tenuit, et illam nequam obtineat, quam usurpare tentavit.

§. 12.

Verum ab eo tempore, quo Concilium Tridentinum *Sess. 23.* de reforma c. 14. inf. Episcopis permisit cum promotis per saltum dispensare, nimia & enixa septem illorum ordinum observantia, pene in ludibrium conversa est. Quis enim adeo hospes est Pontificiae praeceos, quam Franciscus Duarenus *Lib. 1. de Sacr. Eccles. ministr. cap. 16.* prodidit, quod illa ascensio per gradus ad Episcopatum inter Pontificios observetur dicis gratia, nec sine insigni fraude, ut paucis diebus omnes gradus absolvere possint. Geminata his tradiderunt B. Martinus Chemnitius in *Exam. Concil. Trid. P. 2. c. 2.* B. Ziglerus ad *Lancellott. Lib. 1. T. 23. §. 1.* Qui perversi Pontificiorum mores in potestate suam redegerunt sacros canones, quibus modo quinquevennii intersituum inter subdiaconatum et diaconatum, nec non inter ipsum diaconatum et Presbyteriatum requirebatur *can. 2. dist. 77.* modo annum spatium a postremo gradu minorum ordinum prescribitur a Concilio Tridentino *Sess. 23.* de reforma. c. 11. Hinc Petrus Navarrus in *Manual. confess. c. XV. n. 71.* qui paullo ante negaverat ordines minores non posse conferri una die, mox sententiam suam mitigat hac limitatione, nisi Papæ dispensatio aut consuetudo adsit.

§. 13.

Ne tamen per dispensandi facilitatem circa promotois per saltum Pontificii laxare fræna disciplinæ Ecclesiastice videantur, multis distinctionibus illam excusare, pro viribus suis conantur. Distinguunt primo inter promotionem per saltum occultam & manifestam: in illa, non æque in hac dispensationem concedunt: Eamque non solum, si promotus fuerit per saltum omisso aliquo sacrorum ordinum, sed etiam omisis minoribus, aut uno eorum, vel etiam omissa prima tonsura. Deinde Episcopum dispensantem iubent, probe attendere, an per saltum promotus in ordine susceppto ministraverit, nec ne? Adeo, ut hoc, non illo casu delicti sui veniam consequatur, ceu probant ex Concilio Trident. *Sess. 13. de reforma.*

reform. c. 14. Jacobus Menochius *de A. & Q. cas. 564* Andreas Vallensis *l. c. n. 1. cir. f.* Denique repetuit, si pra a nobis inculcatam, divisionem inter promotionem per superbiam, & per ignorantiam suscepitam. Hinc tradunt, cum qvis scienter se fecerit ordinari per saltum, impellente ipsum ambitione, deponi omnino debeat, nec cum eo dispensari, vel non facile, & quidem per summum Pontificem, non per Episcopum. Sed non aliter, qvod de Pontificis dispensatione dictum, a Vallenſi admittitur, quam si saltus commisſus sit in ordine qvadam superiorē, crimen sit notorium, ac promotus in illo ordine aliquamdiu ministraverit, vid. Concil. Trident. *Sess. 24. de reform. c. 6. et Sess. 25. de reform. c. 14. D.N. de Lynccker in Analyſt. ad Deff. qv. 2.*

§. 14.

De temporum vero intervallis, qua ab uno ordine ad aliud desiderantur, qvin liberam dispensandi facultatem Episcopus habeat in promotionibus clericorum, nullum inter Canonistas dubium est, modo ea expendantur, qua §. 11. differuimus. Si enim nondum elapsum esse tempus, sciens Episcopus aliquem promovit, tacite cum promoto dispensasse videtur Simoni Maiolo *in Tr. de irregularit. L. 3. c. 24. n. 14.* Cum omne impedimentum canonicum, qvod est in potestate Episcopi dispensandum, semper dicatur dispensari, si Episcopus sciens promoveat.

§. 15.

Quæ igitur hic usque tradidimus de repetitione prætermisſi ordinis, neqve *cap. 9. X. de stat. et qualit.* neqve exempla corum tollunt, qvi vel cum Ambroſio adhuc catechumeni in Episcopos elevati, ceu de semetipſo testatur in *L. X. ep. 82.* vel a lectoratu ad ad Diaconatum transferuntur, prout de Ioanne Cabilonensi Episcopo refert Sidonius *L. 4. ep. 25.* vel ab exorcista facti sunt sacerdotes cum Felice, de qvo Paulinus *natal. 4.* Ut aliorum hic mentionem non iniiciamus, qvi per saltum promoti esse passim leguntur. De iure enim, non de factis solliciti sumus. Cum multa, sive per necessitatem, sive ex qvacunqve causa, contra regulam gesta, qvæ in consequentiam trahere vetat *can. 1. dis. 48.* Qvamdiu necessita s erat, ordinationes ita suscipere, tamdiu per saltum ascendere

24 CAP. II. DE PROMOTIONIBVS PER SALTVM

dere crimen non erat. Hinc constat, Nectarium nondum baptizatum, tamen electum esse Episcopum Constantinopolitanum ut habet Nicephorus *L. 12. cap. 12.* Accedit, qvod eo tempore per Ecclesiæ consuetudinem receptum fuit, magis animi dotes, quam ordines promovendi attendere.

§. 16.

Altera nunc sequitur promotio per saltum, quam respectu ætatis incurruunt, qui imidoneos profrus adolescentes, et tantum non pueros Ecclesiæ prefecerunt. Sic Leonem X. Pontificem, alias Jo. de Medices adpellatum, exemplo nunquam audito, anno ætatis sua octavo Cardinalem creatum esse, testis est Varela in *Histor. Florent.* L. 3. p. 151. Similiter puerum nondum quinquennem aliquando Remensem electum suisse Archiepiscopum, conqueritur ipse Baronius *ad ann. 925. n. 9.* ut plures taceamus.

§. 17.

Consultum itaque arbitramur, tempus, suscipiendo ordini definitum, ex ipsis iuriuum fontibus derivare. Divortium vero hic nascitur inter ius civile et Canonicum: qvorum illud non admittit Lectorem, nisi octodecim annos minimum natus sit: neque Diaconum aut Subdiaconum, qui minor viginti quinque annis existat: neque Presbyterum, qui trigesimum quintum annum non attigit, recipit, *Novell. CXXIII. cap. 13.* At ius Canonicum aliter annorum definitionem instituit, ut Presbyter viginti quinque annorum: Diaconus viginti, et subdiaconus octodecim ordinetur. *Clement. fin. cap. 3. de stat. et qualit.* Quam ætatem rursus Concilium Tridentinum auxit in *Sess. 23. de reform. c. 12.* reqvirens in Subdiacono annum vigesimum secundum, in Diacono annum vigesimum tertium, in Presbytero Clementi subscrabit.

§. 18.

In ætate tamen Episcopi definienda Imperatori cum Pontifice fere convenit: qvorum uterque trigesimum annum exigit, et si Imperator adhuc quinque annos addiderit *Novell. cit. cap. 1. §. 1. cap. 7. X. de Elect. & Elect. potest.* Verum ratio illa, quam Canonistæ urgent circa istius anni electionem parum concludit. Hanc enim petunt ex *can. 4. dist. 78.* qvia *Dominus noster Iesus Christus trigesimo*

*gesimo anno baptizatus est et tunc predicavit. Sed certum est fani-
orum Theologorum consensu Salvatorem suo exemplo ea in re no-
liuisse certam praescribere regulam, vel definitum annorum nume-
rum in eligendis ad ministerium Ecclesiasticum personis determi-
nare. Neque Apostolus in formula, secundum quam eligendi
sunt ministri, ullam certae aetatis mentionem fecit: qui tamen nul-
lam qualitatem, quam officii ratio desiderabat, silentio praeterivit.
Quod autem non narratur, cum narrari maxime attineat, id nec fa-
ctu, nec observatu necessarium, censendum est. Unde quod alias
de moralibus dici solet, in sacro hoc aetatis negotio locum quoque
habebit, non confidere illam in puncto, sed habere suam quandam
latitudinem. Luculentum nobis suppetit exemplum in Timo-
theo, quod venerandi Theologi nostri commandant ex I. Tim. IV.
12. In primitiva enim Ecclesia non infreqvens fuit, admittere eos,
qui vere pietatis documenta praestiterunt, et Christiana sua pruden-
tia aetatis defectum supplererunt. Ad quos respexit S. Ignatius in
Epist. ad Magnesios: Οὐχὶ ὁ παλυχέρων εἰσὶ σοφοί, οὐδὲ ὁ γέροντες
ἐπιστάουσι σωτηρίαν ἀλλὰ πνεῦμα ἔστιν ἐν βροτοῖς. E contrario illi
reliciebantur, qui ad Ecclesiastica munera ac dignitates sine suffra-
gatione meritorum pervenire voluerunt, quos ambitus criminis
notari oportuit. De quibus Antonius Diana T. V. Tr. 2. Resol.
42. §. ult. tradit, quod per saltum ordinati sint, qui ante legitimam
aetatem ordinem imperaverunt, nec privilegio canonis ac fori
gaudeant, quia delinqvunt in legem Ecclesiae, non ergo debent
lege Ecclesiae iuvari.*

§. 19.

Vera autem ratio haec esse videtur, quia aetas triginta anno-
rum solidæ ac perfectæ prudentiæ esse creditur. Atqui Episco-
pus debet esse vir perfectus, cum characteris ei perfectione conser-
tur Albertus Trot de perfectione clericorum Lib. 1. cap. X. Ars enim
artium est animarum regimen cap. 12. X. de aetate, et qualitate. Unde
Episcopus instructus sit virtutibus, quas eius flagitat munus, quo
mijus sancte servato, tot perdere, quam lucrificare celo potest
animas. Neque hic Imperator Iustinianus dissentit in Nov. CXXII.
cap. 12. qui nullum vult fieri clericum, nisi doctum recte fidei, prie-

26 CAP. II. DE PROMOTIONIBUS PER SALTVM

que honeste sit. Adeo tenax sententiae suae, ut Diaconorum, Cantorum
et Lectorum ordine eos carere iubeat, qui litterarum ignari sint.
Novell. VI, cap. 4.

§. 20.

Neque minorem 30 annis etatem in summo Pontifice re-
quirit Augustinus Barboſa de un. Iur. Eccleſ. L. 1. c. 1. n. 93. Jo. A-
zorius T. 2. Inst. Moral. L. 6. cap. 5. qu. 17. Qvos recte deserit Fer-
dinandus a Castro Palao T. 2. Tr. 13. D. 4. Punct. 3. n. 1. atque ne-
gat, qvod nulla pro summo Pontifice a iure canonico determina-
ri etas posit, sed eo ipso, qvo a duabus partibus Cardinalium e-
lectus fuerit, qui alias aptus ad gubernandam Ecclesiam, tunc
electionem ut validam persistere. Cuius sententiam iuri Papali
conformiorem esse iudicamus, qvia LL. annales sunt positivæ,
qibus maximum Ecclesiæ praesulem subiictere, ab omni ratione
alienum foret, nec levem superioritati eius Ecclesiastica iniuri-
am inferret. Qvamquam non dubitemus, per *spontaneam subie-
ctionem* legibus qvoque suis Pontificem vivere, ne per saltum
promotus esse arguatur, ut supra novissimum exemplum dedi-
mus.

§. 21.

Ætatem vero hanc probare debet is, qui se in ea fundat sive
agendo sive excipiendo L. 13. ff. de probat. ideo, qui dicit cleri-
cum promotum non habere etatem legitimam, hoc probare te-
netur. L. 43. ff. de min. Et qvia nonnisi idoneis munera Ecclesiæ
conferri debent, hoc est iis, qvos boni mores, præstans eruditio,
legitima iustaque etas, præcedens ordo, probata nativitas com-
mendat cap. 7. X. de elec. et eleff. potest. cap. 14. X. de temp. ord.
Hinc impubere ordinato Ecclesiam extraordinario restitutioonis re-
medio adiuvandam esse, multis, in utramque partem excusis, ar-
gumentis concludit Roffredus ad Clem. 1. de etat. et qualit. qvia Ec-
clesia, debet provideri de persona; non personæ de Ecclesia.

§. 22.

Qvamquam in Protestantium Ecclesia isti ordines, qibus
Pontificii nimium indulgent, minus sint recepti; propterea ta-
men functiones in ea non sine ordine conferenda, aut facile con-
ceden-

IN STATV ECCLESIASTICO.

27

cedendum erit, qvō imperiti peritoribus, aut iuniores senioribus praeferantur. Ita enim exigit ipsa corporis Ecclesiastici compages, qvæ in debita membrorum ac munerum proportione conferuntur. Vnde limites posuerunt sacræ litteræ, qvarum ductu promotionem in Ecclesia subeunt, non per saltum, sed gradatim evecti esse videntur. Pace Venerandorum Theologorum nobis hæc saltum adferre liceat, qvæ privato cuiusque studio perlegenda relinqvimus. *1. Cor. XII. 28 29. 30. Eph IV n. Philipp. I. 1. 1. Tim. III. 2. 8. Tit. I. 7.* Ex quibus manifestum, uti Deus est auctor boni ordinis, ita officia Ecclesiastica nolle, nisi iusto ordine ad singulos pervenire. Quem S. Basilius in Psalm 33. egregie adumbravit: *Quidam, ait, in Ecclesia sunt velut oculi, ut seniores; qui- dam velut lingua, ut Pastores; alii velut manus, ut Diaconi; alii velut pedes, ut qui vilioribus Ecclesiæ ministeriis servunt.* Graviter itaqve Ecclesiæ ordinem turbant, qui neglegto inferiore officio, e. g. Diaconatus, ad superius, ut Pastoratus est, infasto sape consilio adspirant. Neqve enim gubernatorum locus ei tradendus, qui prius remum tenere non didicit. *can. 7. dist. 40.* Ingemisit super his, per saltum in Ecclesia promotis, pientissimus Iēsus Brunnemann, in Comment. ad L.u. ff. de mun. et honor. Ultinam, inquit, hoc in Ecclesiis nostris observarcetur, nec Superintendentes ac Inspectores, ex Aeademiis vocarentur iuvenes, preponendiis, a quibus veram praxin Theologicam addiscere debeant. conf. Idem in Iur. Ecclesiast. L. I. cap. V. §. XI. ibique Illust. Dn. Stryckius in not. Sed qvotusqvisque Candidatorum est, qvam primum relatus in numerum, qvin sollicite qværat de opimo sacerdotio, wo ein guter Dienst sey / contra qvos præclare strinxit calamum B. Fritschius in Iur. Ecclesiast. O. XIII. Verum non erit, qvod in posterum metuamus de promotionibus per saltum in Ecclesiis nostris, modo omnes saluberrimam hanc constitutionem sequantur, de qua nobis gratulari possumus in Ducatu Magdeburgico iuxta Ordinat. Ecclesiast. cap. XIV. §. 15. Die Jenigen so allererst von Univerſitäten kommen / als welchen die ritus Ecclesiæ noch wenig beflant in denen Städten zu seinem Pastorat oder Pfarr-Dienste sollen gebraucht werden / bis sie eine Zeitlang in Schulen gear-

Jurisprudentialis D. 2

bei

CAP. III.

beitet / oder eine Capellan^s Stelle versorget haben. Atque hoc consilium Lutherus, restaurator ut religionis puræ ; ita conservator boni ordinis, ipse suppeditavit: Ich wolte/das keiner zu einem Predig^r Ambt erwehlet würde / er wäre dann zuvor Schulmeister gewesen. Nam schola sunt Ecclesiæ seminaria. Qvare indignus Ecclesiastico videtur, qvi scholasticum officium obire detrectat. Et qvamvis interdum ambitu qvæsta officia, moribus atqve artibus non offendant; ipsius tamen initii sui exemplo perniciosa sunt, difficileqe est, ut bono peragantur exitu, quæ malo inchoata sunt præsidio. can. 5. diph. 61.

§. 23.

Evidem sunt, qvi illas promotiones per saltum, sive ratione officii ipsius, sive ratione ætatis accident, inter Protestantes hinc excusant qvod superiorum arbitrio instituantur, qvorum coniungatur dispensatio, ut valeant. B. Dn. Linck. in Comment. ad Decretal. cit. cap. un. §. 2. Fatemur leges annales esse positivas, adeoque dispensationi subiectas. Verum in præsentis non de annis solum, sed de persona meritis ac donis ministrantibus, qvibus Ecclesiæ minister instructus esse debet, potissimum agitur. vid. Paulus Tarnovius in Tr. de minist. Ecclesiast. L. 1. cap. 23. qv. 1. Et sane horum defectum non dispensatio, sed sola exercitatio in sacris negotiis supplere potest. Si itaque dispensetur a summa potestate propter singularē personæ aptitudinem atqe dona eximia, nihil repugnamus, sed lubenter consentimus, utpote qvi non ex annis, sed ex meritis idoneum estimandum esse ministrum Ecclesiæ, iudicamus e S. Cypriano ep. 33. In qua sententia nos magis magisqe confirmat supra adducta Ordinat. Ecclesiast. cap. 14. §. 16, his verbis: Es wäre denn Sache/das sich eine solche Person im Predigen fleißig geübet/oder dermassen geschicket/ erfahren/ und mit Gaben ausgerüstet besunden würde/das sie zur Pfarrer wohl tüchtig und derselben würdig. Dispensatio enim ut in omni lege, ita præ ceteris in Ecclesiastica non facienda est, nisi causa sub sit probabilis. Hugo Grotius de j. b. etp. L. 2. c. XX. §. XXIV. n. 2. Vbi igitur meritorum prærogativa, ibi non mutatur ordo promotionis, sed dignæ personæ ad�licatur, ac dispensatio intervenit, ne illorum dignari offendantur.

CAP. III.

CAPVT. III.

De

**PROMOTIONIBVS PER SALTVM
IN STATV LITTERARIO.****Summaria.**

Connexio. Q. cur rariores sint in Republica litteraria promotiones per saltum? Ratio a forma istius Reipublice petitur. §. 1. Comparatio Reipublicae popularis ac litteraria secundum commoda & incommoda sua instituitur. §. 2. Mixta forma eligitur; ut tamen ratio promovendi ex statu populari retineatur, qua excluduntur promotiones per saltum §. 3. Quomodo promotione per saltum ratione graduum avertatur. §. 4. Gradus Academicci ostenduntur exemplo, a Iuridica Facultate desumpto. Trium graduum origo ad Iustiniani tempora reicitur. Comparatione saecula cum athletis Graecorum. §. 5. Due obiectiones solvuntur. Hottomannus, Beumannus notantur. §. 6. Neglectis gradibus inferioribus, Doctores per saltum promoti, privilegiis aliorum non fruuntur §. 7. Q. An promotione per saltum committatur, si Professor, qui nec magistri aut Doctoris gradum habet, alteri eundem conferret? R. Neg: Due rationes in partem contrariam solvuntur §. 8. A promotione per saltum eximuntur Doctores bullati §. 9. Conclusio in hoc argumento ex dicto S. Chrysostomi §. 10.

§. 1.

AB Ecclesiastico statu transimus ad Scholasticum, quoniam Schola sunt pars Ecclesie. Sicut Ecclesia est in Republica; ita Scholæ sunt in Ecclesia. Qvod autem in illis promotiones per saltum accident rariores, causa eius rei non potest alia esse, quam forma Reipublicæ litteraria, recte instituta. De qua plenius in §. 2. seqq. dispiciemus.

§. 2.

Hinc forma popularis, quæ maxime secundum libertatem naturalem introducta, aptissima quidem Reipublica litteraria esse videtur.

D 3

detur.

30 CAP. III. DE PROMOTIONIBUS PER SALTVM

detur, in qua speciosum libertatis nomen omnes prætendunt, atque artes liberales se profiteri, non male lætantur. In statu populari liberi imperant liberis, neque actiones gratia, autoritate, potentia, sed solis legibus gubernant. Perinde in Republica litteraria tuta sibi imperio libertas est, neque civium actiones alio vinculo constringuntur, nisi quod leges et bona exempla colligaverint. Natura quoque status popularis posita est in æqualitate honorum, iuris, ac libertatis, ut, qui parent, imperent. Quid vero magis intendunt, in ordinem litterarium recepti, quam æqualitatem, eaque lege inter se vivunt, ut ipsi rursus imperent eis, quibus paruerunt. Verum ut in terris nulla est felicitas, quam cum aliqua ex parte ægritudo contamineret; ita nulla est Republicæ forma, adeo attemperata humanis ingenii, quam non incommoda sua premant ac infestent. Quemadmodum igitur in Republica populari libertas summa degenerat in licentiam, sic in statu litterario, non desunt quam plurimi, male dispensantes libertate sua. Deinde in populari statu habentur, qui populum adulitionibus sibi conciliant, ac divites cordatos viros calumniis onerant: Similiter in Republica litteraria occurrunt, eruditiois imagine tumidi, qui alias acriter perstringunt, sibiique tantum sapere videntur. Tandem ut confusio est popularis regiminis abolutio; ita æqualitatis inter litteratos abusus efficit, ut nec quisquam imperanti parere, nec quidquam alteri imperare possit.

S. 3.

Qibus æqua animi lance perpensis, non possumus aliter Republicæ litterarie formam statuere, quam ut in ea temperiem mixte, bene tamen composita, atque artium studiis saluberrimæ admittamus. Civilis prudentiae consulti animadverterunt, imperium populare non posse diuturnum esse, nisi sapientissimi alicuius civis consiliis ac nutu, regia potestate, aut ea non minore, regatur. Inde est, quod Res publica litteraria, prudentissimi cuiusdam viri auctoritate indigeat, qui cum summa doctrina parem humanitatem coiunctam habens æmulationes tollat, factiones dissipet, ac pacem conservet. Quo tamen non obstante, si ex statu populari plerique promotorum illud retineant, quod litterario quam con-

ve-

venientissimum est, ut nulla ratione habita sive census, sive natalium, sed tantum earum virtutum, quae promovendis sunt necessariae, dignitates atque officia distribuantur, inde factum esse arbitramur, ut minus frequentes in hoc statu sint per saltum promotiones, quippe quas virtutum merita excludunt, ceu probavimus cap. 1. §. 3.

S. 4.

Quam ob causam cunctantiores esse solent in præmiis virtutum conferendis, qui serua rei Academicæ curam habent, ut per legitimos statutorum tramites, nemini ad honores via pandatur, nisi gradatim eos ambienti. Neque cordati promotores patiuntur, ut per saltum ex imis subselliis in supremum honoris fastigium transfliant: quam supra promotionem per saltum ratione graduum cap. 2. §. 3. nominavimus. Nam omnium rerum principia, uti parva sunt, quæ suis progressibus augentur; ita de adqvirendis honoribus iudicandum est, qui virtutis indolem sequuntur, non uno impetu, sed gradibus velut adiectis comparantur. Rectius quoque informantur de summo honoris gradu, cum talis promovendi ordo servatur, qui eundem impense desiderant. Non raro his ostendendum est, quod primum dignitatis gradum arbitruri, in tertio vel secundo consistere debeant. Adposite dixit Cicero: *Quod prima sequentem honestum sit, in secundis tertius consistere.* Quare si intermediorum graduum alterutro minus fuerint instruti, ad summum profus ipsis maneat aditus praechusus.

S. 5.

Ne vero exempla longius repetere, necesse sit, ad illustratio-nem sententiae nostra conductit, si in promovendis legum cultori-bus persistamus. Qvorum hic est ordo, ut primum candidato-rum, seu Batallariorum, post Licentiatorum, denique Doctorum gradu honorentur. Plane ad mentem Imperatoris Iustiniani, ex cuius præscripto in *Conf. omnem. de iur. doc. ration.* tres gradus constitutos accepimus, sub aliis duntaxat nominibus insignitos. Papinianis scilicet Batallariorum: *Lytis* Licentiatorum: *Prolytis* Doctorum honores olim contulerunt. Græcorum in his etiam mores uteumque imitatus esse videtur Iustinianus, utpote qui in Olym-

32 CAP. III. DE PROMOTIONIBVS PER SALTVM

Olympico certaminis hanc legem habuerunt, ne quem summis athletæ honoribus et immunitatibus condecorarent, nisi qui per omnem ætatem certando, non minus tribus coronis donatus esset. *L. un. C. de Athlet.* Cum itaque a militia sagata ad togatam valeat argumentum, non refragante Iustiniano Imperatore in *Prefat. Digest. §. 6.* ubi, in certaminibus iurisprudentia sacris, coronatos, iudiciorum optimos athletas, proclamat, nullam video causam, cur non illis, qui legibus armati sunt, tercia tandem, in summo honoris fastigio, corona imponenda fuerit, quia præmia merentibus tribui convenit. per *L. 4. C. de stat. et imag.*

S. 6.

Multa quidem dictis nostris opponere possunt, contentionum amantes, quæ tamen facili negotio solvuntur: (1) Imperator rem l. c. iurium studiosos ad quatror gradus referre. Sed notandum est, *Iustinianos*, quos nostra ætate *institutias* vulgus adpellat, in tyronum numero reliquit, utpote dignitatis expertium. (2) *Prolytas* ad Licentiatorum ordinem pertinere, prout ipsos Franciscus Hottmannus, in *suo iuris Lexico*, eo rededit. Verum Hottmanni opinionem, quominus sequamur, hoc facit incommodum, ut Lytae debeat Batallariorum ordinem ducere, quo admissio, totus ille promotionis ordo turbatur ac destruitur. (3) Batallarios in promotione Iuridica excludendos esse, quod primus ille gradus saltim in Philosophico aut Theologico studio conspicuus sit. Est ita morib⁹ corrupti faculi, et contra originem huius gradus. Nam Batallarius non a *bacca laurea*, honoris symbolo, uti vult Becmannus in *Parallel. Polit. cap. X. §. 11.* sed a Gallorum *Bataille* descendit. vid. *Ludovicus Vives in Lib. I. de cauf. corrupt. art. p. 59.* Gradus enim hic honoris primus ex Academia Parisiensi ad nostras promanavit, in qua illum promeriti Batallarii sunt creati & appellati, quasi milites, ex primo prælio, post editum tyrocinii specimen reversi. vid. *Conringius in Antiquit. Academ. Dissert. IV. p. 135.*

S. 7.

Ex quibus liqvet, quod in Republica litteraria eius conditores voluerint, ut ad iuris prudentia culmen, triplici illo gradu, *Batallaria, Licentia, et Doctrina*, iter pateat. Vnde qui, neglegens

prio-

prioribus, Doctorum insignia consecutus est, eundem minus re-
cte proiectum esse, superius adductæ rationes indicant: neque
concessa Doctoribus immunitate ac privilegiis frui debent arg. L. 8.
C. de adv. divers. iudic. immo degradari possunt, Marsilius Sing.
¶ 5.

§. 8.

Adeo illorum quoque graduum in Academis nonnulli per-
tinaces esse videntur, ut nemini permittant Magisterii aut Docto-
ratus conferre honores, nisi ipse gradu hoc insignitus esset. Dua-
bus vero nituntur rationibus: quaram una, quia nemo plus iuris
in alterum transferre potest, quam ipse habet L. 54. ff. de R. I.
Quæ tamen regula, in alienationibus ac successionibus locum ha-
bens, ad promotiones per saltum minus caute applicatur. Alio-
quin Comes Palatinus, qui Magisterii aut Doctoris gradu non est
ornatus, Doctores bullatos creare non posset. Altera est, causa
nihil largitur effectui, quod non habet. Sed Philosophorum hæc
sententia est, quæ dubium non conficit. Cum opus non sit, ut il-
lud, quod causa confert effectui, semper habeat codem modo, sed e-
minentiore gradu perfectionis id tenere sufficit. Quemadmodum
Episcopus tribuit beneficia, quæ non sunt sua; ita Professor, qui
non est Doctor aut Magister, tamen alios istis honorum gradibus
donare potest: utrinque enim hoc sit ratione officii,

§. 9.

Maiorem vero promotionis per saltum speciem habet creatio
Doctorum bullatorum, quoniam hi non gradatim, ut in publicis
Academiis fieri solet, sed omisis gradibus mediis promoventur.
Sunt hic, quod alias etiam accidit, imago saltuatim factæ promo-
tionis fecellit incertos. Nam Doctorem bullatum creavit aut i-
pse Imperator, aut Comes Palatinus. Si Imperator pro eo meri-
torum presumptio militat, ut sine sacrilegii criminе dubitare non
liceat de aptitudine eius, quem summus Princeps pro idoneo habet
L. dubitare. 3. C. de crim. sacrileg. L. sacrilegūs. C. de divers. Rescript.
Imperator enim semper in privilegiis cuivis Academiae concessis
ac confirmatis serio mandat, ut personas doctas, habiles et aptas,
promoveant. Credibile itaque non est, quod Doctorem promo-

turus sit indoctum , cum contradictionem implicet. Qvamvis
opponi qvidem posit ius creandi Doctores Imperorem indepen-
denter ac liberrime exercere ; tamen ad illitterati promotionem il-
lud extendere nequit , qvia dispensatione sua nec ingenii defectus,
nec virtutum merita supplere valet. Vnde Angeli Icti sententia
sobrie est capienda , *Imperatorem unico verbo posse Doctores, Licenti-
atos et Magistros proclamare.* Bechmann, de Privileg. Studios. cap. 3.
n. 20. Etenim Imperator iura quidem ac privilegia, qvæ in Re-
publica litteraria iti dignitati tributa sunt, utique conferre potest
creatione sua , sed minime ipsam dignitatem, qvæ secundum ius
naturæ in meritis fundata est cap. 1. §. 3. Ergo manifestam involvit
contradictionem , dignum esse indignum, aut meritum esse im-
meritum. Sin Comes Palatinus Doctores Bullatos creavit , et
iamnum videtur cessare promotio per saltum. Nam in privilegiis,
qvæ Comitus Palatinus in hoc negotio data sunt, numquam non
hæc clausula inserta est : *Daz zum wenigsten drey Doctores der
selben Facultät da zu gebrauchet werden.*

§. 10.

Hæc de honoribus in Republica litteraria adipiscendis est no-
stra sententia; in qva tamen pertinaces hærente nolumus, si lucu-
lentis rerum argumentis convincamur, qvod non pauci promoto-
rum per saltum ascenderint ad summum honoris apicem. De qui-
bus potius valere putamus S. Chrysoftomi sententiam in can. 12. disp.
40. *Multi Doctores, et pauci Doctores : Multi nomine ; pauci opere.*
Nos Philosophorum more cuncta proposuimus, non abhorrentiu-
m a publicis moribus, nihil præcipue agentium, qvam hoc uni-
cum, ut cum docti esse cœperunt, sibi caveant, ne boni esse desinant.

CAPVT. IV.

De
PROMOTIONIBVS PER SALTVM
IN STATV CIVILI.

Summaria.

Connexio. Prohibitio promotionis per saltum ex legibus §. 1. Ac
veterum moribus eritur §. 2. Quis ordo promotionis inter Ro-

ma-

manos observatus fuerit, demonstratur, addito Ciceronis exemplo. Ratio eius ordinis cum Plinii consilio adfertur. §. 3. Promotionem per saltum in Republica Romana locum habuisse, Quintii Flaminius exemplo ostenditur. §. 4. Grotii error refutatur de promovente per saltum, ad restitutionem damni obligato. §. 5. De promotionibus per saltum ratione etatis. Ibi premititur legitima promovendorum etas, quod ad determinationem annorum attinet. §. 6. Rationes huius instituti §. 7. Transgressio eius. Exemplum ea de causa adfertur, sed excusat, & illa definitio annorum restringitur. §. 8. Q. An promotione per saltum sit, cum iuvenis consiliariorum numero adscribitur? Resp. per distinctionem. Exemplum Rebabeami. §. 9. De aere ad secessoris Camere. Antinomina Ordinat. Cameral. cum Recess. Imperii noviss. conciliatur. §. 10. Q. Utrum promotione per saltum, cui nobilitas conferatur, velut a qua tuor avis orta? Resp. Neg. §. 11. De opposita regadatione in iudice, & advocate agitur §. 12.

§. 1.

AD statum civilem nos ordo perducit, quem promotiones quoque per saltum turbare, notius est, quam ut explicatiōne indigeat. Ideoque non leges solum, quas cap. 1. §. 2. et alibi laudavimus, eisque nunc L. 3. C. de consul. in lib. 12. addimus, sed et veteri temporis mores tales promotiones diligenter prohibuerunt, et cupidos honorum ad debitos gradus revocarunt, donec meritorum insignia eis adstipularentur L. 1. C. de div. offic. in lib. 12.

§. 2.

Qua de causa apud Ciceronem, aliosque, prisci moris callentes, cum de adipiscendis dignitatibus agitur, ubique fere graduum fit mentio, quasi ad eas, nisi per gradus sit ascensus. Sic eloquen-
tia Paren̄s in Orat. ad Quirites post redditum (p. 286. edit. Cellar.) in-
quit: *Vestros denique honores, quos eramus gradatim singulos affec-
ti, nunc a vobis universos habemus.* A minoribus enim ad maiores ei ascendendum est, qui ad veterum instituta promotionem suam componit. Unde idem Cicero lib. 3. de LL. suntio Ædiles curatores urb̄is, annone, ludorumque solemnium, illisque ad honoris amplioris

36 CAP. IV. DE PROMOTIONIBUS PER SALTVM

gradum primus ascensus esto. Exstat apud Plinium L. 3 epist. 2, ad Maximum haut leve istius ordinis vestigium: *Caret ambitu, scribit,* ideo se in Equestri gradu tenuit, cum facile posset ascendere altissimum, quem de Senatorio gradu, explicat Excell. Dn. Cellarius in not. ad b. l. Praetor hæc sunt prudentia monita, non legis præcepta: quorum hic meminimus, ut constaret, nihil Reipublice utilius esse, quam per omnes honorum gradus ad summum dignitatis fastigium cives suos efferre.

§. 3.

Sed videamus primum de ordine promotionum, acturi deinde de saltu: magis tamen necessaria utriusque, quam superflua monumenta attingamus. Talem vero apud Romanos tenebant ordinem, qui ad gubernandam Rempublicam sibi viam parabant. Primo petebant Quæsturam, honorum primordium ab Ulpiano dictam in L. I. §. 3 ff. de Offic. Quæst. triennio elapsò ædilitatem, biennio Praeturam, eadē quoque intercapidine Consulatum: sequerentur Censura, & Patriciatus. Sic ipse Cicero, legis ac ordinis utique observantisimus, qui honores ordinatim petendos esse bene monet in Lib. 4. ep. 5. per scalarios istos gradus adscendit, bonum exhibens exemplum, primum Quæstor, deinceps Ædilis, post Praetor ac tandem Consul fuit. Optandum itaque effet, ut multi, quorum animos incessit honoris cupiditas, in animum admirterent egregiam illam Plinii vocem in Panegyric. sic admonentis: *Nihil magis professa Candidato ad sequentes honores, quam peractos optime magistratus. Magistratus magistratu, honore honor petitur.* Recta ratio id ipsum postulare videtur, ut una cum meritis augeantur premia. Rem enim se bene gesisse, in minori magistratu offendere oportet eum, qui altiorum magistratum auditurus est, L. I. C. ut omnes iudicent. Vnde quod ab initio cap. 1. §. 2. diximus, omnes, recti amantes, probant, neminem debere ascendere ad maiorem magistratum, nisi prius minorem sustinuerit.

§. 4.

Quanto etiam argumentorum pondere se se opposuerunt prudenteris veterum; non tamen in Republica Romana desuerunt, qui per saltum, quam per gradus se proiectos maluissent. Minus

ad

ad animum revocabant, qvod ad honorum dignitatumqve culmen rapido precipitiqve cursu non satis tuto qvis qvam evehatur. Sicut enim scalarum gradus, si qvis alias tollat, alias incidat, ruinæ periculum sibi struit, non ascensum parat; ita si persultim ac præpropere, ad summas dignitates aliquis efferri velit, neqve ad eas sibi per minores magistratus gradum praefruat: promptum lapsus & ruinæ periculum ipsi impendet. Neqve alia erat causa, qva per moti M. Fulvius & M. Curius, Tribuni plebis, T. Quintium Flaminium ex Qvæstura Consulatum petere non patiebantur. Digna sunt de hac promotione per saltum verba Livii, qvæ adscribamus ex Decad. 4. lib. 2. Iam ædilitatem Preturamqve fasidiri, nec per honorum gradus documentum sui dantes, nobiles homines tendere ad Consulatum, sed transcendendo media, summa iuris continuare. Exstant plura apud antiquos scriptores eorum exempla, qvi cum despiciatisimæ fortis essent, celeri cursu ad excelfos potestatum gradus elati sunt: qvos enumerate non opis nostra est: Iura sectamur, non facta: Ideoqve unum vel alterum eius promotionis dare documentum, nobis hactenus sufficit.

§. 5.

Anteqvam vero hinc abeamus, moras injicit progressuris error Hugonis Grotii, qvem in lib. 1. de Lib. et p. cap. XVII. §. 3. commisso videtur. Cum existimat, si cui magistratus collatio manda ta, ipse vero indignum eligar, atqve ex huius electione damnum faciat Respublica, hoc ab eodem resarcendum esse. Addit insuper rationem Grotius l.c. qvia Reipublicæ tenetur ad eligendum eum, qvi dignus est, & ad hoc exigendum Respublica ius habet proprium. Verum nimis fallitur summus iuris naturalis interpres: qvoniā restitutio damni non datur, nisi ius alteri debitum auferatur. Sed civium nulli in Respublica ad honores ius proprium convenit; certe meritum non est debitum. Deinde honorum distributionem arbitrio magistratus Respublica permisit, ideo facultatis sue limites non excedit, si indignum evehat, qvod paullo ante cap. III. §. 9. demonstratum est. At iure suo utens nemini facit iniuriam, ut propterea teneatur ad damni restitutionem. Ponamus quoqve magistratum teneri Reipublica ad

38 CAP. IV. DE PROMOTIONIBVS PER SALTVM

dignos eligendos ; non tamen ex legis , sed virtutis præcepto illud procedit. Unde non negabimus, si honores a Magistratu indignis conferantur, peccari contra virtutum præcepta, puta prudentia ac beneficentia, qvarum transgressio cum onere damni restituendi coniuncta esse non potest. Qvicunqve enim nihil alieni tenet aut debet, ad illum restitutionis obligatio non pertinet. Neque ipse Hugo Grotius hoc incicias ibit, qvi l. c. §. 9. inquit: *Sigvis debeat ex caritatis norma, peccare quidem omittendo; non tamen ad reparationem teneri, cuius origo est, ius aliquod proprium.*

§. 6.

Qvemadmodum graduum, ita et annorum rationem habuerunt prisci mortalium, in decernendis officiis atque honoribus. Hinc Magistratus Romanorum certam fuisse ætatem præfinitam, qva completa fungi possent honoribus , satis prater alios adferunt, Ulpianus in L. 8. ff. de mun. & honor. L. 2. ff. de vacat : L. 2. ff. de iur. immunit. Papinianus in L. 6. & Callistratus in L. 11. ff. de Decur. Id ipsum quoqve testatur Ovidius, Lib. V. Faſt. v. 61.

Finitaque certis

Legibus est etas, unde petatur bonos.

Erant autem honoribus Magistratalibus obeundis anni destinati certi, qvos præoccupare licitum non erat : Consulatui præscriptus erat annus XLIII. Praetura XL. Aedilitati ac Qvæsturæ XXXVII. Tribunitia potestati XXX. ut constat ex Siganio de Antiqu. Rom. Iur. Lib. 2. c. 2. Tholosano de Republica Lib. IV. c. V. Qvibus subscribit Reinesius Lib. 2. Var. Lect. cap. 15.

§. 7.

Neque sapientissimi Romanorum, qui pæne in omnibus rebus magnam ſemper temporis rationem habuerant, non sine gravissimis causis ætatem hanc definiuisse videntur. Factum enim hoc putamus, ut vel honorem deferrent ætate provectionibus, vel hominum diligentiam ac vigilantiam excitarent, vel contentionum occasiones inter pares, aut non multum impares tollerent : atque sic se gerendo in distribuendis officiis nemini ius petendi auferrent, sed tantum ad meliorem promovendi ordinem redigerent. Cum nimis absurdum ipsis adparebat, ut iuvenes antiquis præferrentur,

qvo-

qvorum experientia in multis rerum argumentis probata sit. Qvam ob causam antiquiores advocati, qvorum fama est hilior, anteponuntur iunioribus. L. 7. C. de posul. Huc respexisse videtur Siodnius Apollinaris cum dixit : *Advocatorum cum finiuntur actio-nes, incipiunt dignitates.*

§. 8.

Interim plures citra eam ætatem, si quid dignum operæ pretium præstisissent, Consulatum gerere permisum fuisse merito obiecto potest, teste Alexandro ab Alexandre L. 3. Gen. dier. cap. 3. p. 120. Nam et Valerium Corvinum, ait, *in tertio et vigesimo ætatis anno ante legitimum tempus ad Consulatum promotum legimus.* Verum illa ætatis notatio §. 6. tradita non ita accipienda est, ut meritis, qvæ ætatem superant, unquam opponatur. Qui enim virtute sua merentur tanta præmia, per saltum promoti esse, male arguuntur. Unde est, qvod in plerisque Rebus publicis, nulla certa ætas attendatur: et si plurimum commodi secum trahat, qvo in promtu statim habeamus, qvi cives sint, ad munera publica capessenda satis apti. Siqvidem illæ eo tendunt, qvod reperiantur interdum iuvenes egregii, de qvibus idem pronunciare possumus, qvod de Demophilo Pindarus Pyth. Od. IV. qui fuit ἐν πατρὶ νέος ἐν δε βελᾶς βέρεθρος. Et sane salutare putatur, iuvenes perspicaces adiungere senibus. Quemadmodum nimis forte vinum diluitur aqua, ita coniungenda erit cautio senilis cum serventi studio adolescentum: ut senum consuetudine iudicium confirmant iuvenes, et in locum maiorum succedant. Hinc recte inquit Tholosanus de Republ. L. 24. c. 6. *Expedit omnino iuxta annosas arbores plantas eius-modi novas inserere, qvæ post interitum in locum earundem succedunt.* Qvapropter Augustum Imperatorem liberos Senatorum, qvo celerius Reipublicæ adfuererent, protinus virili togæ latum clavum induere, et interesse curiæ, permisisse legimus apud Svetonium in eius vita. De Consulibus quoqve constat, ætate minores eligi qvidem potuisse L. un. §. 2. ff. de offic. consul. factos tamen suffragia non tulisse, nec administrasse Rempublicam L. 6. §. 1. L. 11. ff. de Decur. I. 8. ff. de mun. et honor. atqve ita dignitatem aliquamdiu eosdem obtinuisse sine administratione. Qvare istæ & similes excepti-

40 CAP. IV. DE PROMOTIONIBVS PER SALTVM

ceptiones non tollunt promotionis regulam , qva senes potius ,
qvam iuvenes a consiliis esse iubentur . Qvibus enim corpus an-
nis infirmum ; ingenium sapientia validum est.

§. 9.

Ex his itaque sequitur , non statim promotionem per saltum
esse , si iuvenis numero consiliariorum adscribatur , ut ut commodius
senes adhibeantur , qvia magis experientia valent , qvam illi arg.
L. 1. §. 3. ff. de postul. L. 91. §. 3. ff. de V. O. L. 1. §. 2. ff. de offic. consul.
Qvo enim paecto fieri potest , ut Senatorum munus recte obeat ,
qvi forum vel aulam nunquam attigerit , eaque in arte digne se ex-
erceat , qvam nunquam didicerit ? Neqve enim consiliarius nostre
tantum debet leges Reipublicæ in qva vivit , sed singularum Rerum
publicarum conditionem , qvoad fieri potest , exquirat , ut eo ex-
peditor sit in dandis consiliis , qvæ spectant ad rationem status & u-
tilitatem Reipublicæ . Notum est , qvod sensus occupentur circa
singularia ; ex singularibus autem nascitur experientia , qva præce-
teris consiliarium instruuntur esse oportet . Jo. Bodinus *de Republ.*
L. 3. c. 1. Vnde iuvenes consiliis interessent possunt ; attamen per saltum
illorum erit promotio , si consiliis præesse velint , cum plerum-
que improvidi ac temerarii esse deprehendantur . Testis est expe-
riencia , Dei verbo tradita atque Regis Iudæorum , Rehabeami , ex-
emplo , luculenter comprobata l. Reg. XII. 8. 14. qvi consilia iu-
venilia prætulit senioribus , atque his ruinam sibi acceleravit .

§. 10.

Malo huic , qvo nulla ætas certa attenditur in capessendis ho-
noribus , egregie mederi videtur Ordinat . Camer. Imp. P. 1. T. 5.
§. 11. constituens : Dass denjen jungen unerfahrenen Personen / si
aus der Schulen kommen / der Zutritt ad Assessorum nicht ver-
stattet werde . In amplissimum enim hunc ordinem nemo referendus
est , nisi qui prius foro adsvererit , et qui annis aliquot vel in
Senatu causas actitaverit , vel profitendi munere alicubi functus fu-
erit , multaque habeat diurna observatione notata , aut cum Ca-
meralis iuris peritioribus usum ac consuetudinem habuerit , a qvi-
bus , qvæ partium suarum sint , fuerit edocetus . Neqve officit ,
qvod hodie ad annos in Assessore Camere non respiciatur per Re-
cess.

cess, Imper. d. ann. 1654. §. 28. cum ibi non de ætate Adiessoris, sed de quinqvenniali studii Iuridici decursu agatur, quem olim requiri verunt per Ordin. Camer. Imper. P. 1. T. 3. §. 2. hic, non illa remissa est, modo insigni eruditione ac forensi experientia promovendus polleat. vid. Dn. Textor in Disp. II. ad R. I. noviss. §. 36.

§. 11.

Etsi nobilitas sensim nascitur, præclaris factis augetur, donec splendorem suum diffundat; non tamen, ut er illud non alienum a scopo nostro inseramus, si cui Princeps nobilitatem conferendo in codicillis ita exprimat, wir wollen euch hiermit in dem alten Al del dergestalt erhoben haben / als wenn ihr von Vater und Mutter 4. schuldig geboren waret; eiusmodi nobilem per saltum exisse, nobis videtur. Nam uti feudum novum iure antiqui concedi potest. 2. F. 2. 18. B. Struvius S. I. F. cap. III. apb. 3. ita nihil vetat, quominus nobilitas nova sub schemate antiquæ nobilitatis confatur. Quo facto, ille nobilis ad ea iura et privilegia admittitur, quæ a quatuor avis ac proavis aliquem ortum esse reqvirunt, ut in ludis equestribus, in collegiis Canonorum ac similibus recipiatur. Cum ea omnia, quæ hic adferuntur, a iure positivo delendant, adeoque Principis dispensationi subiecta sint. Illustr. Dn. Cocecius in Inst. Iur. Publ. L. 1. cap. 8.

§. 12.

Restat de regradatione in hoc statu, utpote promotioni per saltum opposita, paucis dicamus. Iudices enim Romanos, prout ex L. 12. C. de dignit. constat, poena loco, si se sceleribus maculassent, honore exutos inter plebeios habitos suisse, neminem fugit. Quandoquidem iudices ac magistratus populi Romani, qui in ipsa Republica, vel eius parte, aut iustitia administranda, versabantur, post adquisitum officium e plebeiorum censu, nobiles esse factos, multis probat Rosinus in Antiquit. Rom. Lib. 1. cap. 17. et 19. Hinc propter atrociam delicta regradationem patiebantur, cum, illis honoribus privati, in plebeiorum censum denouo redacti essent. Similis quoque huic est Advocatorum regradatio, etiam si dispar puniendo causa occurrat. Ubi in summis receptum esse Dicasteriis, liquet per Ord Cam. Imp. p. 1. Tit. 52. §. und über dñs 1, ut Advocatus culposus si in altiore

42 CAP. V. DE PROMOTIONIBUS PER SALTVM

loco sedeat, ex statione sua in infimum detrudatur, sine tamen infamiae macula, cum a iuris peritia non instructus sit, aut aequo negligenter in officio suo deprehendatur. Cetera regredationis in statu civili exempla, ne longi simus, consulto omittimus.

CAP. V.

De

PROMOTIONIBUS PER SALTUM
IN STATU MILITARI.

Summaria.

Connexio. Promotiones per saltum turbare statum militarem, ostenditur. Vnde persona illustres in bello ab humilioribus officiis incipiunt. §. 1. Ordinem promovendi in officiis militaribus servandum esse probatum partim LL. Romanis §. 2. partim ratione equitatis naturalis §. 3. Obiectio de nfu LL. Romanarum in hodierno iure militari solvitur. Feltmanni et Burgezi sententia confirmatur. §. 4. De reduktione legum militarium inter veteres usitataram. Marcellini testimonium de illis adductum §. 5. De emione officii militaris vitandi tyrocinii causa. Cuius intuitu L. 3. C. de condicione ob turp. caus. explicatur. Mores Germanorum de ista emione perpenduntur. Dietho Nazianzeni concluditur. §. 6. Iura militaria que paulo recentiora sunt, eamdemque promotionem per saltum improbant, in primis Danicum adducitur. Antinomia quaedam iuris militaris dissipatur circa electionem Equitum Magistri §. 7. Excipliuntur quaedam personae a promotionibus per saltum §. 8. De pana promotorum per saltum in statu militari. Boeckeli obiectio solvitur, et sententia Grotii limitatur. §. 9. Regradationem esse penam per saltum promotorum demonstratur (1) ex iure Romano. Modus regradandi exprimitur. §. 10. (2) ex iure militari recentiori, e.g. Svedico. Additum est praividicium ex foro militari, et Grotii testimonio illustratur §. 11.

§. 1.

Veniamus nunc ad statum militarem, quem *promotiones per saltum* non parum turbare possunt. Cum militibus imperare, qui iussus est, alium is Imperatorem sibi querit. Diu enim

enim perdidicisse in hoc statu ea oportet, qvæ mox officialium qvisque suis præcipere debet, nihilque discendum habeat tempore docendi, qvo expeditio facienda est. Hinc *illustres personæ*, militiam secutæ, ab *humilioribus* incipiunt *muneribus*, utrū laboriosa ac onerosa fuerint, ne quidquam e re militari futurum ignorantem, aut monitore officii sui indigerent. Non ferunt limites instituti nostri, ut exemplorum agmina hic congeramus. Neqve id agimus, quod Historicorum proprium munus est.

§. 2.

In officiis igitur *militaribus* nihil magis exigitur, qvam ut *ordinem certo et per gradus*, sive *atatis*, sive *dignitatis*, deferantur. Honoris enim augmentum in statu militari non ambitione, sed labore convenit ad unumqve devenire *per L. 14. C. de re mil. lib. 12.* Sicut qvisque in ordinem venit, & qvo digniore et antiquiore honore functus est; ita et in dignitate et impetrandis officiis honorificis preferri debet, *L. 1. ff. de alb. scrib.* Quem ordinem præter aductas leges, mirifice inculcat Imperator Honoriūs in *L. 3. C. de tyron. lib. 12.* Non, inquiens, patimur quemqva celsiore gradum obtinere, nisi cui et laborum adfuditas, et studiorum prolixitas suffragatur. Ac severè prohibet Imperator Zeno. in *L. 2. C. de primic. lib. 12.* ne quis per ambitionem graduum seriem contuber, & temporum ratione calcata, dudum *militantibus* se anteferri cupiat. Quomodo autem Romani in castrensi militia hos officiorum gradus servaverint, multis expendit Iustus Lipsius de *milit. Roman. Lib. 2. Dial. 8.* Rosinus *L. 10. Antiqu. cap. 7.* & Georgius Obrechtus toto libro de *principiis belli et militari disciplina*, in quo nomina officiorum militarium apud Romanos recepta ad hodiernos mores egregie accommodantur.

§. 3.

Neqve obscura est æquitatis naturalis ratio, qvæ in *militaribus* illis Romanorum legibus intenta fuit. Scilicet ut vetus est verbum, sed summa cum veritate coniunctum, nescire cum recte imperare, qui non didicerit parere, ita plane nec militum copias regere novit, qui militare non prius didicerit. Ambitionis igitur, non prudentiæ *militaris* alumni sunt, qvi *per saltum cycchi* desiderant. Hi

44 CAP. V. DE PROMOTIONIBVS PER SALTVM

non militare, sed imperare; non sub armis sudare, sed arma iubere;
non stipendia mereri, sed dare in votis habent. Quibus postea
accedit, ut ignorantis insidiarum modos, quibus opprimuntur, adver-
so terrentur eventu, cui se fortius opponere debuerunt, secunda-
rum ambiguarumque rerum nescientes, praesentissimo periculo se
ac milites suos exponunt; cum hi illorum faciat, non dicta, sequantur.

§. 4.

Verum, ne quis nobis frustra obiciat, ius militare ex Romanorum LL. non explicandum esse, ac proinde promotiones per saltum in hodierno statu militari occurrentes, eisdem redargui non posse: Huic vero in notitiam perferimus, novum haut esse, ut posteriores leges ad priores trahantur, et ex his istae explicentur per L. 28. ff. de LL. Quam pro se in negotio militari adducit ac recte sequitur. Feltmann in Resp. Mil. 1. n. 95. Ex eisdem quoque Romanorum LL. in nostro argumento decisionem petuit Burgerus in Cent. 3. O. 53. 54. his verbis conceptam: Es gebühret sich / daß einer zuvor Schilddwache stehet / ehe er ein Officier werde.

§. 5.

Præterea nemo nobis adversabitur, si defendamus, perutile fore, cum veteres Principum sanctiones de gradibus honorum obser-
vantur, vitandisque in magistratibus, potissimum in militari-
bus, per saltum promotionibus, renovarentur et in praxi deduc-
cerentur. Ex quibus illa memoria nostra & observatione dignissima est, quam Julianum Imperatorem, mox fere ut imperium est
adeptus, in concione ad milites tulisse, testis est Ammianus Mar-
cellinus Lib. 20. Cap. XI. Ut, inquit, rerum integer ordo servetur,
præmiaque virorum fortium maneant incorrupta, nec honores præcipi-
at ambitio clandestina, id sub reverenda consilio vestri facie statuo, ut
neque civilis quisquam iudex nec militaris rector, alio quodam preter
merita suffragante, ad potiorem veniat gradum, non sine detimento pu-
doris eo, qui pro qualibet petere tentaverit, discessero. Erat ideo an-
tiquitus institutum, quo adolescentuli statim castris stipendiis
imbuebantur, ut imperare parendo, duces agere dum sequuntur,
adsciscerent. A maioribus enim natu non auribus modo, verum et-

iam

iam oculis, iuniores discunt, que facienda, mox ipsi ac per vices quasdam minoribus tradenda habent, ut in re simili advertit Plinius L. 8. ep. 14.

§. 6.

Ad ipsam vero promotionem per saltum nobis accedentibus, in statu militari ea tunc committi videtur, quando vitandi tyroci-
nii militari causa aliquid dederunt officiales, die sich eine Officirg.
Charge erkaufst haben. De quibus Diocletianus Imperator L. 3.
de Condit. ob turp. caus. præclare tractavit. Hanc itaque legem ins-
picientibus ignotum esse nequivit, quod eo tempore severa admo-
dum fuerit militum disciplina. Nulli, etiam si selecti tyrones, in
militum numeros, nedum officialium, recipiebantur, quin per
annum sub magistris armorum instructi essent, qvod tyrociniū
vocabatur. Ut eius onera, utpote gravissima, quo vitarent, plu-
res quacunque arte, adiecta etiam pecunia, sedulo agebant: Hinc
apud centuriones, contra quos, iam milites facti ob anteversum
tyrociniū tempus, pecuniā datam condicere non erubefcebant.
Neque enim turpiter data esse censebatur ab iis, qui veram militi-
am appetebant, sed sola turpitudo erat ex parte accidentis, qui &
propterea de crimine concussionis ac repetundarum accusari poter-
rat L. 6. §. 2. ff. ad L. Iul. repet. Moribus Germanorum ex parte
dantium quoque turpitudo adessi videtur, quorum plerique vel ob
spem prædae aut vanæ gloria militaria munera captant. vid. cap. 1.
§. 8. Ad quos pertinet illud S. Gregorii Nazianzeni iudicium de
dignitate emitia in Or. 28. Eam tunc estimabo, cum piætam quoque
pulchritudinem laudandam duxero, simiamque ob id venerari capero,
quod leo esse iussa sit.

§. 7.

Cum his autem veterum moribus ac legibus optime conser-
tiunt recentiores Regum ac Rerumpublicarum constitutiones,
qua statum militare ita instituunt, ut secundum eas quisque gra-
dibus officiorum premisis ascendat, nec ex milite statim etante
tempus cursum suum transcurrens, ad eximum aliquod officium
militare, per saltum, sed per minores magistratus, evehatur. Qua-
rum si una alterave pro illustrando hoc negotio in medium profe-

46 CAP. V. DE PROMOTIONIBVS PER SAL TVM

renda esset, nullam invenimus in universo Iuris Militaris Corpore, quæ maiorem affundere lucem posuit, quam sapientissima Christiani V. Danorum Regis gloriofissimæ memoria, constitutio, quæ in suo Militari Jure art. 158. his verbis publicata est: Weil der Krieg eine Profession ist / da man oftmahs mit seiner eigenen Person bezahle muß so soll auf die Erfahrungheit in Bestellung des Officier geschen und nicht leicht zu Drittmeisters oder Hauptmanns Charge einer gesetzt werden / der nicht zum geringsten fünff Jahr actuellement im Kriege gedienet; oder die Lieutenants-Plätze einen gegeben werden / der nicht vier Jahr gedienet; auch bevor einer zum Cornet oder Fändrich vorgestellt wird / soll er drey Jahr effectivemt gedienet / und seine Züge und Wachen verrichtet haben; dehgleichen soll keiner zur Quartier-Meisters Funktion, oder zur Helleparth befördert werden ehe er volle 3. Jahrs-Zeit würckliche Dienste gethan / und die Pique oder Musquet getragen hat; es sey dann/dass er dazu tüchtig erfunden wird/ oder sich in einer oder andern action absonderlich signaliret. De qua exceptione paulo post dicemus. Interim ex citato texu perspicimus, tales statum militarem poscere officiales, quorum scientiam nulla res omnino, quæ quidem posita est in usu militari, fugiat. vid. Pract. Milit. Pr. 2. p. 319. seqq. Si igitur potentiam ingentem hostis ostentet, officiales belli sciant eludere; si vastationibus ac depopulationibus grassentur, sciant reprimere; si maioribus viribus insultent, prudenter calleant atque solertia superare. Nullum sit belli genus, non externum, non internum, non defensorium, non vindicatorium, in quo illos non universæ patriæ fortuna exercuerit, aut etiam illustrarit. Et qyamvis in Imperio nostro Campi - Marschallus, nullum alium sibi adiungere possit Equitum Magistrum, nisi nobilem vid. Die Reuterbestallung in Tit. wie das Reuterrecht zu bestellen art. unic. non tamen exinde promotio ulla per saltum metuenda est, cum nobilis quidem genere ibi präferatur, sed qvem præter Maiorum suorum gloria, propria virtutis militaris merita conspicuum reddiderunt, prout ex L. c. adparet. Es soll der Held-Marschall einen ehrlichen/ verständigen/ erfahrenen Kriegesmann von Adel zu seinem Lieutenant verordnen &c. Optima promoven-

di

di ratione, quia ut poenit de plebe orti impelluntur; ita premis in statu militari nobiles ad egregia facinora excitantur. Accedit, qvod si lege aliquva caveatur, ut preferantur in honoribus certæ conditionis homines, hoc semper observandum sit, modo idonei sint. L. II. §. 1. ff. de mun. & honor.

§. 8.

Quibus tamen, modo expositis, promotionibus non obstant Marii iunioris, Scipionis Africani & Pompeii M. exempla, si probe expendatur singularis eorum peritia in re militari, cuius intuitu evidens Reipublicæ utilitas depositebat, ut in annalium atque scandali legum decretis dispensatio fieri posset. Etsi igitur præ ceteris Pompeio M. a Vindio quodam obiectum ὅτι δημαρχοὶ εἰν παιδαγωγεῖς παραπεπόμπε, quod ex ludo pedagogi, Dux & Imperator confessim omicuerit, aut a Sertorio eidem exprobratum, virtuti suæ Cneium Pompeium, adhuc imberbem & pæne adolescentulum, non parem posse adversarium esse, seque iuvenem istum, bene castigatum, mox domum remissurum. vid. Plutarchus in Pompeio, Nihilominus hæc mera sunt convitia, fœtus impotentis ingenii, quæ utrisque male cesserunt, atque multo uberioris Pompeii famam disseminaverunt. Cum perversa hominum iudicia nec merita personæ, nec eorum aestimationem immutare queant. Hinc dubium non est, quin tantos honores Pompeius, æque ac alii, quos supra in landis societatem cum eo pertraximus, ob egregiam animi indolem, atque eximiam virtutem, promeriti sint, subsultim & ante tempus obtinerent. Audiamus hac de re testem, fide dignissimum, Ciceronem, in Orat. pro L. Manil. Cuius (Pompeii) adolescentia ad scientiam rei militaris, non alienis precepitis, sed suis imperiis, non offensionibus belli, sed viutoriis, non stipendiis, sed triumphis est traducta.

§. 9.

Etsi autem in statu militari promotio per saltum plerumque originem suam ducat ab ambitione. vid. §. 6. quæ virtuti opponitur, cuius natura ut coactionem omnem, ita poenam quoque excludit Grotius de J. b. & p. L. 2. cap. 20. §. 20. Nihilominus hæc Grotii sententia etiamsi vera sit; non tamē sine discriminē adPLICANDA est,

48 CAP. V. DE PROMOTIONIBUS PER SALTVM

est, quod minus observans Boecklerus in *Dissertat. de actione ingratij*, novis erroribus ansam dedit, quos ex parte castigare voluit Pufendorfius de *J. N. & G.*, *L. III. cap. III. §. 17.* Dantur enim virtutes, quæ legis humanæ præcepta excedunt, quarum opposita vitia poenæ non subiiciuntur. Ex diverso si per legem illam virtus aliqua precipiatur, cique contrarium vitium prohibetur, tunc lege violata etiam poena locum habere potest, quia adest iniuria, cum poena nihil aliud, quam reparationem iniuriæ, comprehendat.

§. 10.

Igitur extra erroris periculum positi, tuemur, poenam regradationis in statu militari sequi promotionem per saltum. Ut in quo genere milites deliquerint, in eodem poenam sentiant. Regradatio enim est, descensio gradatum facta. Vnde milites regreditati superiore tantum gradu, quem cum obtinent, pelluntur, sed inferiorem semper retinent. Quem regreditandi morem pulcre S. Hieronymus ad *Pammachium* expressit. Ipsius verba, quia notabilia sunt, adferamus. *Finge, ait, aliquem Tribunitie potestatis suo vitio regredatum, per singula militia equestris officia ad tyronis vocabulum devolutum, num quis ex Tribuno statim fit tyro? non, sed ante Primicerius, deinde Senator, Ducenarius, Biarchus, circitor eques, dein tyro. Et quanquam Tribunus quondam miles gregarius fuerit, tamen ex tribuno non tyro, sed primicerius satius est.* Quibus verbis optime demonstratur proximam a Tribuno dignitatem Primicerii fuisse, tertiam Senatoris, quartam Ducenarii, infimam tyronum, cum summa secundum Imperatorem penes Tribunum esset. Multa in utroque Codice tam Justiniano, quam Theodosiano rescripta existant, ad hos militiarum gradus pertinentia, uti *L. 2. C. de domest. & protest. lib. 12. L. f. eod. tit. in C. Tb. L. 1. C. de offic. magistr. offic. L. 2. de fil. mil. apparit. in C. Tb.* Nobis singula in praefenti examinare, nec vacat, nec labet, quibus sufficit, poenam regradationis tam Codicis per *L. 2. C. de offic. magistr. offic. & L. 2. C. de comment. lib. 12.* quam Pandectarum iure per *L. 12. ff. de custod. & exhibit. reor. L. 5. §. 1. & L. 13. §. 6. ff. de remilit.* non ignotam fuisse: et si non dissimulamus quod hæc poena magis ad mentem, quam verba in his posteriorib⁹ tradatur; ac proinde icti in Pandectis gradus deicelli-

onem⁹

onem indicantes, non aliam, quam *p̄nam regradationis* subintellexerunt. Insuper longum esset, si vellemus, scrinia veterum reserare, eaque de poena regradationis exinde promere, qua Valerius Lib. 1. tit. de disciplina militari. cap. 9. & 15. Julius Frontinus de Stratagemat. lib. 4. cap. 1. Iustus Lipsius de mil. Rom. L. V. Dialog. 18. aliquie magno studio ac labore congesserunt. Excedunt limites propositi nostri, quod haec tenus eo tendit, ut brevitas studiosi esse deprehendamur. Ideoque separatim de nobilissimo hoc iuris militaris argumento DN. Praes propediem tractabit, ne quid intactum reliquise videatur,

S. II.

Ceterum silentio id prætereundum non erat, quod modus puniendi officiales militum per regradationem non antiquo solum, sed recentiore etiam iure militari, eoque adprobato per usum fori, receptus fuerit. Quod clarissime evincunt Schwedisch Kr. N. Tit. XIV. art. 67. Ließen Capitain/Leutnants oder Corporalen das (duelliren) zu/ und verhinderten es nicht mit allen Ernst/ die sollen von ihren Aembtern abgescher/ und ihnen aufs neue vor gemeine Soldaten zu dienen auferleget werden. Dānisch, Kr. N. art. 164. Adprime hic facit ea sententia, qua in iudicio militari contra officiales, deditores Castris Hungarici, Altsohl dicti, pronunciata die 8. Jun. 1704, cuius tenorem, quia dictis nostris largam lucem scenerunt, & per saltum promotum fisisit, tali poena adfectum, ideo hic adscribemus: Hingegen wird N. N. Friedrich v̄ einer Frey Compagnie zur Leopold-stadt/ weil aus allen seinen Bezeugungen erhället/ daß er dieses / was ein Officier wissen solle/ zur Zeit noch nicht verstehtet/ seiner Charge ein halb Jahr lang entsehet/ und sein avancement von der Mousqueten an zu meritiren schuldig seyn. Sapientissimo igitur Regum ac Rerum publicarum consilio ea poena regradationis instituta est, ut, quod Grotius de J. b. & p. L. 2. c. 20. §. 12. n. 3. commode nobis suggerit, acrius damnatis potentia inuratur, & magis ad exemplum proficiat pena diuturnior.

G

CAP.

CAPVT. VI.

De,

PROMOTIONIBVS PER SALTVM
IN STATV PRIVATO.

Summaria.

Promotiones per saltum etiam in statu privato esse prohibitas, demonstratur (1) in judiciali nominatione filii, quæ seruo applicata, non adoptionis, sed tantum manumissionis vim habet. Rationes adseruntur cum solutione dubii §. 1. (2) in adoptione plebeii, a nobiliſta. Bonaventura Frantz notatur. DN. Stryckii sententia contra D. Gletle defenditur. Q. Num adoptivi in feudis succedant? deciditur §. 2. Mores Sinenſium expenduntur, qui ex fuga huius promotionis, collatos filii honores usque ad mortem Patris suspenderunt. Unde variis rationibus refutantur §. 3. Ab eadem promotione per saltum excipitur legitimatio neporis per matrimonium avi suscepta. §. 4. De regradatione in statu privato agitur (a) quoad reductionem manumisſi in priſinam servitutem §. 5. Q. An homo proprius ob ingrati crimen ad priorem conditionem reduci posſit? Rf. Adſir. argumentum, a libertis deducitum repudiatur, & alia ratio, a revocatione donationis petita, prefertur. §. 6. (b) quoad reductionem emancipati, quæ Romanorum, non Germanorum iure permitta: Rationes differen- tie utriusque iuris inserte §. 7. (c) quoad repueratcentiam femina. De qua Seneca testimonium. Item de ſenum curatore ex Iure Saxo-nico. Sed testamentum ſenum ex capite repueratcentie male impugna- ri, non probatur modo, sed & prauidicio illuſtratur. Dicto S. Hiero-nymi concluditur §. 8.

§. I.

Cum parvæ Reipublicæ imaginem præferant familiæ, ideo consultum duximus de promotionibus per saltum, quæ in eisdem offenduntur, nonnulla subiicere. Ex quibus adoptio primum ſibi vindicat locum, de qua Imperator Iuſtinianus in §. ult. Inſt. de adopt. aliquod huius promotionis exemplum adferre vide-

videtur. Id ipsum est de domino, qui servum, actis intervenientibus, filium suum nominaverat. Vbi Imperator, ICtⁱ Catonis opinionem fecutus, auctoritate sua constituit, eo casu liberum quidem factum esse servum: quod tamen ad ius filii accipendum, ei non sufficeret. Cuius constitutionis hanc reddidit rationem DN. de Lyncker in *Anale*. Inst. ad cit. §. quoniam status non potest persaltum mutari: ne quis ante filium se esse sentiat, quam liberum. Solaignitur nominatio non facit filium L. 2. C. de testam. quia adoptio formam ac ordinem a legibus prescriptum habet, quem nemo subditorum transilire potest L. ult. C. de adopt. Quod vero talis nominatio effectum habeat manumissionis, exinde constat, quia libertas ex solo domini arbitrio dependet. Ac proinde parum ad rem facit, quod dominus possit servum nuncupare heredem suum §. 1. 2. Inst. qui & ex quib. caus. manumitt. Nam heredem fieri non est statum mutare. Deinde largimur, quod dominus servum, heredem nuncupando, eum efficiat liberum ratione status, ut voluntatem suam explere possit. Verum sive tacita, sive expressa haec sit libertas ad ius filii non prodest, sed tantum ad consequendum ius heridis. Denique adoptio est liberi hominis in filium adsumptio. Immo adoptandus vel paterfamilias, vel filiusfamilias esse debet. Sed nihil horum est servus. Nullam itaque causam habet, cur ius filiationis ex sola nominatione prætendat.**

§. 2.

Idem ferendum est iudicium de nobili, plebeium adoptante, qui nobilitatem adoptivi patris conseqvi non potest. Siquidem promotio persaltum etiam in familia suspecta atque invalida est per. §. 1. b. c. Neque ius sanguinis confert adoptio L. 23. ff. de adopt. sine quo tamen vera nobilitas in posteros non propagatur. L. 3. C. de commer. & mercator. Nisi quis vellet hunc saltum admittere, ut privato quoque dignitatem atque cum ea connexa ei privilegia conferre licet, quod solius Principis in Republica proprium est negotium. Ut si leamus, quod adoptio non ad constituerdam nobilitatem, sed ad patriam potestatem aliudque ius familie, uti successionis, producendum introducta sit §. 1. Inst. de adopt. Aliter enim sentientes, confundunt iura familie generalia & spe-

52 CAP. VI. DE PROMOTIONIBUS PER SALTVM

cialia: illa, non hæc plebeius, a nobili adoptatus, consequitur. Sed ad specialia iura pertinere nobilitatem, in aprico est. Vnde vana spē lactat ex recentioribus Joseph. Bonaventura Frantz, Professor Salisburgensis in *Prodromo Justin.* T. de adopt. n. 13. qui per L. 5. 6. & 10. ff. de Senator. plebeio adoptato audacter promittit nobilitatem. Præterquam enim quod nusquam in iure civili eiusmodi adoptionis vestigium exstet, sed et illud plane fallit argumentum, quod ab agnatione patris adoptivi ad collationem nobilitatis deducit: qvoniام illa vi patriæ potestatis, hæc vi sanguinis adquiritur. Similiter a statu veteri Romano ad præsentem Germanicum male concluditur. Ex utriusque enim comparatione patebit, longe aliam esse rationem dignitatis Senatoriæ, quam hodiernæ nobilitatis: quarum illa personæ; hæc rei quoque intuitu data: neque illa; sed hæc cum agnatorum præiudicio coniuncta est, si nobilitatem conferat adoptio. Quæ singula cum, pro more suo, adequare expenderit Illust. DN. Stryckius in *Uf. ff. moder. ad b. t. §. 8.* non videmus, qua fronte eius usum modernum hac in re suffillare potuerit Joseph Bernhard Glette in *P. t. Select. quest. II.* nisi pro genio facili nostri, tanti Viri opus reprehendere, quam imitari, sibi facilius duxisset. Cuius tamen argumenta non nisi patriæ potestatis acquisitionem evincunt, hæc vero ea tantum secum trahit, quæ ex iure privato dependent, non quæ publico, qualis nobilitas est. Interim certissimum est, quod filius adoptivus in feudis patri non sucedat 2. F. 26. §. 4. Illust. DN. Stryckius in *Tr. de S. A. I. Diff. I. c. 3. §. 25.* Excell. DN. Horn, in *Iurispr. Feudal. C. XV. §. 2.* nisi in feudo novo, per Principis, tamquam domini directi, rescriptum, aut in antiquo per agnatorum consensum, adoptio confirmetur, qui saltum promotionis 2. F. 12, reiectum in feudis emendare videntur. vid, Rosenthal in *Synops. de Feud. cap. 7. cl. 3. n. 37.*

§. 3.

Digna etiam sunt, quæ de Sinenium moribus tradidit Martinus Hist. Sinica Lib. VI. c. 1, ut hic commemoretur. Cum eosdem

dem describat, adeo promotionibus per saltum infensos esse in statu privato, ut filius numquam altiorem dignitatis gradum, quam Pater, ascendat. Unde si suis in Rempublicam meritis honores filius adipiscatur, quibus patri fungi non obtigit, ii defuncto demum Patre *posthuma velut promotione* communicantur. Qvamvis igitur in eo Sinenses laudem merentur, qvod obseqvium ac reverentiam erga Parentes maximam & primam virtutem habent; nihilominus, hoc nomine culpandi sunt, qvod filii honores bene meritos suspendunt, donec ipsorum Parentes vitam cum morte commutaverunt. Tanta enim obseqvii exsuperantia, et si laudabiliter sit, tamen sine turpitudine omitti potest, qvia plus Reipublicæ, quam Parentibus filius in publicis negotiis deberet. Neque ordinem per saltum transfilit, si filius in eis, qvæ ad publicum officium pertinent, se patri præfert, sed illum potius recte tuetur. Sicut Patris inter privatos salva manet respectus prærogativa, tam eti propter publicos honores filio reverentiam exhibere debeat; ita nec obseqvii gloriam perdidit filius, licet, in functione sua occupatus, Patrem sibi cedere velit: qvoniام dignitas publica tegit privatam. Vnde in eo casu Pater non tam cedit filio, sed Reipublicæ, qvam hic officio suo aliquatenus representat. Ex qvibus liqvet, Sinenses; qvanta etiam polleant sapientia, non separare promotionem per saltum, cui ambitio aliave animi passio dedit occasionem, de qua cap. i. §. 9. actum, ab ea, qvæ virtutum meritis parta est.

§. 4.

Male autem inter promotiones per saltum numeratur, qvæ in statu privato accidat, si nepos ex præmortuo filio naturali per avi matrimonium legitimatur. Qvandoquidem matrimonio ad tempus initii reducto, omnis metus, ne saltus committatur, hic expirat, uti nuper admodum demonstravit Dn. Praeses in *Disput. de successione legit. in Feud. cap. 1.* Et sicut Patri non officit, qvamvis filium qvis non habeat, in locum nepotis adoptare §. 5. *Inst. & L. 43. ff. de adopt.* ita etiam hic videbitur avi legitimus nepos es-

54 CAP. VI. DE PROMOTIONIBVS PER SALTVM.

se , utut filius naturalis vita sua defunctus sit. Alias quidem duo singularia non concurrunt,hic vero contrarium adparet exemplum, ubi quis habere filium fingitur, & ex eo nepotem,

§. 5.

Promotionibus per saltum, qvas in statu privato perlustravimus , itidem regradatio opponitur. In primis cum liberus olim, ingratim criminè damnatus , in servitutem a Patrono suo revocari potuit L. 2. C. de libert. & liber. L. 12. C. de oper. liber. Qvamvis enim data semel libertas , amplius retractari non possit §. 6. *Inf. qvib. ex caus. man.* nihilominus quoniam libertus ingratum se exhibens, erga Patronum contra communem naturæ instinctum , qui ei, qui bene fecit , bene velle iubet, immo & contra ipsum ius & equitatem naturalem delinquit, indignum se libertate accepta testatur. Neque ab hac sententia nos dimovet, qvod Iustinianus in *Novell. LXXVIII. cap. 5.* omnes libertos ac libertinorum conditionem sustulerit , concessa manumissis ingenuitate. Siquidem hoc procedit, non de Patrono, sed de ceteris & secundum alia ingenuitatis iura : quoniam ius Patronatus integrum manet , nisi Patronus in manumissione id nominatim remiserit. Interim putandum non est, Patronum ex qualibet causa, etiam putativa , libertum pro ingrato declarare posse , ac regradatione punire , cum certæ ingratii animi causæ in L. 6. ff. *de agnosc.* & *alend. lib.* & L. 2. C. de liber. & lib. eor. exprimantur. Sunt autem istæ , si liberti Patronos gravi adfecerint contumelia ; si illata manu atroci eos pulsaverint ; si paupertate vel corporis valetudine laborantes reliquerint ; si instantia qvadam cervicem contra eos exercent,

§. 6.

Sed utrum homo proprius , moribus Germanorum semel manumissus , regradationem pati , atqve ob ingrati animi crimen in pristinam conditionem rursus detрудi possit, non inutiliter hic disceptatur? Nobis adfirmantium partes arrident, si qvando ex libera-

ri

rali voluntate in ipsum collata sit libertas. Cuius tamen ratio non ex antiquo libertinorum statu deducenda, quod multi ex recentioribus quoque perperam faciunt, quia homo proprius manumissoне facta, non redigatur in talem statum, ut manumittentem teneatur Patronum suum agnoscere; sed ex natura donationis, quae ut ut perfecta; ob atrocem tamen iniuriam donatarii revocari potest, *L. ult. C. de revoc. donat.* adeoque hominem proprium ea de causa punire regradatione, nihil prohibere videtur, conf. qui fuse & eleganter iura hominum propriorum secundum mores Germaniae deduxit, *Excell. Thomasius in Difser. de h. m.*

§. 7.

Altera regradationis species est in liberis emancipatis, qui ingratus erga Parentes suos animum in Patriam potestatem reduci ac revocari possunt *L. un. C. de ingratis liber.* Qymvis non dissimilemus, eo casu non tam adqviri patriam potestatem, quam pristinam, rescissa ob enormem *ἀχαιστα* emancipatione, restitui, ac nobiscum consentit Hugo Donellus in *L. 2. Comment. c. 24.* Ratio eius regradationis adparet in præsumta patris voluntate, qui præviso ingratae mentis casu, noluit concessa libertate, quasi contra se tela subministrare. Neque plus poenæ involvit, si Parens istius filii curam penitus abiiciat, eumque profilio non agnoscat. Revocatione tali multa iura, filio iam adquisita, auferuntur, puta quod sine Parentum consensu nuptias contrahere pr. *Inst. de Nupt.* nec non testamentum condere possit, pr. *Inst. qv. non est permitt. regam.* Atque ita secundum ius Romanum valere hanc regradationem liberorum, nullum est dubium. Moribus autem Germanorum, quibus liberi maiorennes, si filiae, per contractas nuptias *Sächsche Landrecht L. 1.a. 45.* sin filii per separatae oeconomiae institutionem emancipantur *Carpzovius P. 2. C. 10. def. 1. n. 3.* tametsi ingrati extiterint; nihilominus revocatio illa parentum, & subsequens regradatio liberorum cessare videtur, tum quia emancipatio hodierna non Patris, sed iuris beneficium est; tum quia ordinarium Germanis suppetit remedium, quo ingratos liberos ergastulis includunt, eosque hac ratione ad saniorem mentem, optimo Reipublicæ instituto, perducunt.

§. 8.

56. CAP. VI. DE PROMOTIONIBVS PER SALTVM

§. 8.

Tandem in statu privato adhuc alia , eaque naturalis datur regradatio. Senes enim cum repuerascunt , qvid aliud sentiunt , qvam atatis viriumque regradationem. vid. Excell. D^N. Thomasius in der Einleitung zur Sittenlehr cap. I. §. 31. 32. Naturæ fert ordo, cum homines fere ad summum vigorem pervenerunt, ut sensim pereunte virium robore, ab eodem vitæ statu desificant. Sensus , qvorum perfectione virilis ætas excellebat, nunc minuantur, mentis acies obtunditur , ac memoriæ fida custodia amittitur. Qvæ animadvertisens Seneca, senem elementarium futurum dixit in ep. 36 Unde iure Saxonico ei, qui sexaginta annis maior est, curator adiungi potest, si velit. Landrecht L. 1. art. 42. Sed, minus impendiente hac senum repuerascentia, negamus, deliria in senibus, ætate valde proiectis, præsumi. Qvibus enim corpus morbis infirmum, annisque fractum est, illis ingenium sapientia utcumque validum esse potest. Ut proinde sénū testamenta pro nullis habere, ac promiscue rejicere sit ab omni juris ratione alienum. Qvare heredes illi ab intestato, qvorum mentionem facit D^N. Röslerus in Secl. I. Dec. V. octagenariæ foemina testamentum impugnantes, id responsi loco acceperunt, daß die Testirerin als eine 81. Jährige Witwe alber und wahnwisch g gewesen sey/ ihnen zu erweisen und darzuthun billig obliege. B. i. N. W. Atque hanc etiam laboris nostri telam abrumpentes, divino Numini gratias per solvimus, qvæ dictis superaddi possint, cuiusque Lectoris iudicium lingimus, modo eam sibi in iudicando normam statuat, quam omnibus S. Hieronymus commendavit in can. 65. Caus. 16. q. 1. Ita vero ille: *Si quis doctus & eruditus legem DEi, potest ceteros erudire, non debet suæ assignare prudentię, ingenioque, quod posidet, sed gratias* ^{scit} *primum D^Eo, qui cuncta largitur: deinde sacerdotibus eius ac magistris, a quibus doctus est. Si enim non egerit gratias, sed sibi scientiam vidicaverit, in penuria maledicetur.*

Emendanda.

Pag. 17. lin. 5. pro 7. lege 5. p. 18. l. 29. pro can. 80. le. 79. p. 19. l. 19. pr. 18. le. 59.
 l. 20. pr. lectorum, le. lectorum, ead. l. pr. gradum le. gradu. p. 20. l. 8. pr. dist.
 58. le. 59. l. 25. pr. Alexandri. le. Alexandrini. p. 23. l. 25. & 26. pr. ad le. ad. p. 25.
 l. 30. pr. cap. 1. le. 14. p. 37. l. 2 pr. antinomia. le. antinomia. p. 37. l. 13. pr. iuris. le.
 imis. p. 46. l. 2. pr. sapientissima. le. sapientissima. l. 3. pr. constitutio. le. consti-
 tutione. & l. 33. pr. gloria. le. gloriam.

Halle, Diss., 1906 (-Si)



SL



Pub. 10. num. 35.
24 1706 14a
13

B. C. D.
DISSERTATIO IVRIDICA
De
PROMOTIONIBVS
PER SALTVM,

Qvam occasione
L. II. pr. ff. de Mun. & Honor. cap. un. X. de cleric.
per salt. prom.

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO AC DVCATVS MAGDEBURGICI
GVBERNATORE

IN REGIA ACADEMIA FRIDERICIANA
CONSENSV ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
PRÆSIDE

JO. FRIDEMANN SCHNEIDER,
I. V. D. LOG. AC METAPHYS. PROF. ORDIN.
IVRIVM EXTRAORD.

Publico eruditorum examini
submittit
JOHANN STARCKE,
Magdeb.

D. Apr. A. O. R. MDCC VI.
HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis JOHANNIS MONTAGII, Acad. Typogr.

KENFRIED
UNIVERS.
ZVHALLE

